COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XXI PARS IV.

LIPSIAE MDCCLXXVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.

Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Venetiis apud I. B. Paſcali, Patauii apud Io. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Noui commentarii academiae ſcientiarum Imperialis Petropolitanae Tom. XVIII. pro anno 1773. Petropoli typis acad. ſcient. 1774. 4. Fig. aen. IX. pagg. 671. praeter capitum elenchum.

Commentariorum horum claſſis mathematica conſtat in Tomo XVIII. ex ſequentibus commentationibus.

1) *Theoria elementaris ſerierum ex ſinibus atque coſinibus arcuum arithmetice progredientium diuerſimode compoſitarum dilucidata.* Auctore DANIELE BERNOVLLI. p. 3.

2) *Summatio progreſſionum*
ſin. φ^λ + ſin. 2 φ^λ + ſin. 3 φ^λ ... + ſin. $n\varphi^\lambda$
cos. φ^λ + cos. 2 φ^λ + cos. 3 φ^λ .... + cos. $n\varphi^\lambda$ p. 24.
Auctore L. EVLERO.

3) *Obſeruationes variae circa ſeries ex ſinibus vel coſinibus arcuum arithmetice progredientium formatas* p. 37.
Auctore A. I. LEXEL.

p. 71. 4) *Noua series infinita maxime conuergens perimetrum Ellipsis exhibens.* Auctore L. EVLERO.

p. 85. 5) *Demonstrationes circa residua ex diuisione potestatum per numeros primos resultantia.* Auctore EODEM.

p. 136. 6) *Noua ratio quantitates irrationales proxime exprimendi.* Auctore EODEM.

p. 171. 7) *Solutio problematis de inueniendo triangulo, in quo rectae ex singulis angulis latera opposita bisecantes sint rationales.* Auctore EODEM.

p. 185. 8) *Resolutio aequationis* $Ax^2 + 2Bxy + Cy^2 + 2Dx + 2Ey + F = 0$ *per numeros tam rationales, quam integros.* Auctore EODEM.

p. 198. 9) *Insignes proprietates serierum sub hoc termino generali contentarum:*

$$x = \tfrac{1}{2}\left(a + \frac{b}{\sqrt{k}}\right)(p + q\sqrt{k})^n + \tfrac{1}{2}\left(a - \frac{b}{\sqrt{k}}\right)(p - q\sqrt{k})^n.$$

Auctore EODEM.

p. 218. 10) *De resolutione irrationalium per fractiones continuas, vbi simul noua quaedam singularis speciei minimi exponitur.* Auctore EODEM.

In classe physico mathematica haec inueniuntur:

p. 245. 1) *Noua determinatio centri oscillationis in corporibus, qualibuscunque filo flexili suspensis eiusque a regula communi discrepantia.* Auctore DAN. BERNOVLLI.

2) *Determinatio motus oſcillatorii in praecedente* p. 269.
diſſertatione pertractati, ex primis mechanicae princi-
piis petita. Auctore L. EVLERO.

3) *De preſſione ponderis in planum, cui incum-* p. 289.
bit. Auctore EODEM.

4) *De harmoniae veris principiis per ſpeculum* p. 330.
muſicum repraeſentatis. Auctore EODEM.

5) *Noua methodus motus planetarum principa-* p. 354.
lium ad tabulas aſtronomicas reducendi. Auctore
EODEM.

6) *Diſquiſitio de lentibus obiectiuis triplicatis,* p. 377.
quae vel nullam confuſionem pariant, vel etiam datam
confuſionem a reliquis lentibus ortam deſtruere valeant.
Auctore EODEM.

7) *De applicatione lentium obiectiuarum compo-* p. 415.
ſitarum ad omnis generis teleſcopia, vbi agitur ab
EODEM Auctore.

I. *de perfectione teleſcopiorum primi generis,* p. 432.
nullam imaginem realem continentium.

II. *de perfectione teleſcopiorum ſecundi generis* p. 448.
ſeu aſtronomicorum, vnicam imaginem realem con-
tinentium.

III. *de perfectione teleſcopiorum tertii generis,* p. 472.
duas imagines reales continentium.

Claſſis phyſica ſequentes complectitur commentationes.

1) *Deſcriptio piſcis e Coregonorum genere, ruſſi-* p. 503.
ce Riapucha *dicti hiſtorico anatomica.* Auctore I. T.
KOEHLREVTER. Eſt nempe *Salmo Albula* LINN.

ex cuius deſcriptione partium externarum contextu notemus; peculiares ductus oſſeos cauernoſos, quibus mucum ferunt, et in vtroque capitis latere reperiebantur; operculum branchiarum ex tribus laminis compoſitum eſſe; et radiorum in pinnis numerum fuiſſe in dorſali 12, in pectoralibus 15, et in caudali, paruis lateralibus additis 33: qui quidem numerus conuenit cum noſtris huius piſcis exemplis, praeter quod in pinnis ventralibus 12, et in ani 10 reperiamus. Viſcerum deinde ſitum, nexum et figuram ſingulorum deſcribit Cl. Auctor: quae quidem omnia in plerisque cum Salmonum aliorum partibus conueniunt. Hepar tamen in duas partes diuiſum eſt; ventriculi et oeſophagi ſuperficies interior rugis quinque longitudinalibus diſtincta et principium pylori ruga tranſuerſa eſt munitum. Coſtas viginti nouem numerauit. Optaremus vt in ſimilibus anatomicis deſcriptionibus, etiam ſtructura viſcerum praeſertim cerebri, et organorum ſenſoriorum, diſtributio vaſorum et neruorum, quae certe maximi ſunt momenti et difficilioris diſquiſitionis, diſquirerentur.

p. 509. Obſeruatur praeterea, a Cl. Auctore, tunicam ventriculi exteriorem in nonnullis horum piſcium indiuiduis in tubercula eleuatam fuiſſe, in quibus *Gordius lacuſtris* vel *marinus*, vtrumque enim vnum eundemque eſſe putat Auctor, in ſpiram conuolutus habitabat.

p. 512. 2) *Deſcriptio piſcis*, e Gadorum *genere*, *Ruſſis* Saida *dicti*, Auctore I. LEPECHIN. Habitat hic piſcis in mari albo, et cum *Nauaga* KOELREUTERI *) ratione trunci et formae externae plurimum conue-

*) Vid. Nov. comment. Acad. ſcient. Petrop. T. XIV. p. 484. comm. noſtr. Vol. XX. p. 7. Hunc a *Gadi Callaria*

conuenit, et definitur a Cl. Auctore: *Gadus*, dorſo tripterygio, ore cirrho minimo, cauda bifurca, radio ventralium ſecundo in longam ſetam producto, linea laterali recta. Pinn. D. 10-11, 16-17, 20. P. 17. V. 5-6. A. 18, 20. C. 24-26. Caro huius piſcis eſt flaccida et macilenta, et propter colorem tetrum luridumque ab omnibus ſpernitur.

3) *Cyclopterus lineatus*, Auctore RODEM. Differt hic a reliquis huius generis, membrana branchioſtega clauſa vniradiata, dentibus in duplici ordine poſitis. Ceterum eſt *Cycloptero Lipari* LINN. valde ſimilis, corpore nudo, mucoſo, pinnis dorſali et anali cum caudali coniunctis. Pinna dorſalis radiis 36, pectorales 26, analis 28, caudalis 5-8 inſtruuntur. Lineae, per longitudinem corporis caſtanei excurrentes, ſunt albidae. p. 522.

4) *Deſcriptio plantarum Sibiricarum*, *Auctore* LAXMANN. Offert hic eas, quae in ſummis Altaicorum montium, aeterna niue tectorum, cacuminibus legit: 1. *Gentianam grandiflorum*, corolla quinquefida maxima, foliis radicalibus plurimis lanceolatis compactis horizontalibus. 2. *Sibbaldiam Altaicam*, foliorum radicalium apicibus tripartitis, calycibus quinquefidis, petalis retuſis. 3. *Ornithogalum vniflorum* foliis caulinis alternis, vaginantibus, pedunculo vnifloro, quod iam LINNAEVS (Mant. pag. 62.) deſcripſit. 4. *Ornithogalum Altaicum* ſcapo tereti quadriphyllo, petalis ouatis trineruibus, ſtaminibus ſubulatis. 5. *Polygonum Sibiricum* floribus octandris, foliis haſtatis, caule inermi. 6. *Ranunculum Altaicum*, foliis lobatis, radi- p. 526. p. 530. p. 533.

Callaria LINN. differre, cum quo eum coniungit Cl. KOELREVTER Noſter exiſtimat, et ſimul monet, iconem in comment. l. c. datam malam eſſe.

calibus petiolatis, caulinis ſeſſilibus, calyce birſuto, longitudine fere petalorum.

II.

Domeſtic medecine: or a treatiſe on the prevention and cure of diſeaſes by regimen and ſimple medicines. By WILLIAM BVCHAN London 1772 8 maj. pag. 794.

i. e.

Medicina domeſtica ſeu ratio, qua morbi diuersi non ſolum arceri ſed etiam lenibus medicinis curari poſſint. Auctore GVILIELMO BVCHAN.

Imitatur hic Cl. BVCHAN Celeberrimum TISSOT*) et hanc ſuam inſtituti rationem continuat. Noſter enim chronicos morbos hic ita tractat, vti Cl. TISSOT acutos. Inuenient itaque Lectores in hoc libro Buchaniano, qui iterum Anglice vulgatus et germanice **) prodiit, de educatione liberorum, vbi potiſſimum dicit contra publica domicilia, quibus pauperum liberi educantur, ob multitudinem, ob curae negligentiam, aeris impuritatem victusque deprauationem, et potius ſuadet, his pauperibus parentibus, dummodo adhuc viuunt, ſuccum donis atque beneficiis et ita educationem prolis leuari atque ſuſtentari. Porro reiicit faſcias et thoraces

*) EIVSD. avis au peuple ſur la ſantè. vid. comm. noſtr. Vol. XII. p. 543.

**) *Hausarzneybuch oder Anweiſung, wie man denen Krankheiten durch eine ſchickliche Lebensart nicht nur vorbauen, ſondern auch durch leichte Arzneymittel abhelfen ſolle. Mit einer Vorrede begleitet von* D. GEORG HEINRICH KOENIGSDOERFER. *Aus dem Engliſchen überſetzt. Altenburg* 1774. 8.

thoraces. De morborum cauſſis ex vita communi in ruſticis, artificibus et opificibus, in potu et victu, in aere, corporis exercitatione ſomnoque, veſtitu, intemperantia, impuritate, infectione ſeu contagio, animi commotionibus, euacuationibusque. Haec erat pars prima, altera morbos ipſos pertractat.

Ac hic praemittit Noſter annotationes generales cognitionem et medelam morborum ſpectantes; dein ad febres progreditur intermittentes, continuas, remittentes cet. pleuritidem, peripneumoniam, febrem lentam et tabem neruoſam, putridam, petechialem, miliarem, variolos, morbillos, ſcarlatinam, bilioſam febrem, ignem St. ANTONII, phrenitidem, oculorum inflammationem, anginam gangraenoſam, tuſſim et coryzam, tuſſim ferinam, ventriculi inflammationem et inteſtinorum, colicam, renum inflammationem, hepatitidem, choleram, diarrhoeam, vomitum, diabetem, vrinae retentionem, ſabulum et calculos, haemorrhagias, haemorrhoides coecas et fluentes, haemoptyſin, miſtum cruentum, dyſenteriam, cephalaeam, dentium dolores, aurium tinnitus et ſuſurrus, ventriculi dolorem, vermes, icterum, hydropem, podagram arthritidem, ſcorbutum, ſcrophulos, aſthma, ſcabiem, apoplexiam, alui obſtructionem, appetitus proſtrationem, morbos neruoſos, melancholiam, paralyſin, epilepſiam, ſingultum, ſpasmum ventriculi, animi deliquia, incubum, hyſtericum et hypochondriacum malum, venena mineralia et vegetabilia, morſum variorum animalium, vitia externorum ſenſuum, carcinoma, venereum malum, morbos ſexus ſequioris, infantum, quaedam ex chirurgia: inflammationem nempe, venaeſectionem, vulnera et vlcera, contuſiones, luxationes, mala accidentalia vt in merſis, frigore tactis, cet.

Pars I. Cap. I. Dum communes cauſſas morborum Noſter perſequitur, infantum veſtimenta, nutrimenta, motum et quietem primum conſiderat. Infantes a paedagogo manu ſunt ducendi, ideoque omnia reliqua auxilia Noſter reiicit e. gr. brachionaria, quibus inhaerent, pectori et abdomini officiunt, indeque digeſtionem turbant et morbos pulmonales alioſque cauſant. Porro dicit contra curuitatem extremitatum inferiorum, quam pendere dicunt a nimis cito vſu pedum apud infantes, idque demonſtrat in animalibus non fieri, ideoque cautione adhibita, vſum pedum non tam ſero eſſe quaerendum ab infantibus. Vituperat magnopere vitam ſedentariam, potentiſſimam morborum et corporis deformis cauſſam, exercitia vero corporis ſtrenue ſuadet et balnea frigida, quae exercitiorum locum reſtituunt, corpore tamen non incaleſcente, nec ventriculo impleto.

Cap. II. Hic morbos ex vitae genere Noſter perſequitur, et quo accurate et ſufficienter haec tractentur, tres claſſes conſtituit: 1) qui nimis laborant, 2) qui multum ſedent et 3) qui literis ſe ſe dant.

Cap. III. Agitur hic de alimentis et potulentis. Diaeta aetati, corporis conſtitutioni et vitae generi accommodanda eſt. Addit hic Noſter multas vtiles cautiones ad cereuiſiarum genera et praeparationem, ad carnum diuerſitates cet. pertinentes. Ieiunia et inediam aeque reiicit Noſter, ac nimiam repletionem, neque largitur, hanc illa corrigi. Nec nimis, nec parum aſſumere, neque adeo curioſos in diaeta ſeruanda eſſe, interdum paullulum recedere a ſolito diaetae more erroremque licet non adeo magnum atque crebrum, de induſtria committere ſuadet.

Cap. IV. Nunc de aere differitur. Omnis omnino mutatio aeris, quae in calore, frigore, humiditate cet.

eius

ejus cernitur, ei officit eumque reddit minus sanum. Quapropter Noster vrget puritatem plateaꝝ, domiciliorum, nosocomiorum, laudat ventilatores et in exstruendis praediis, domubusque maxime respicit ad liberum aeris transitum, nec minus reicit sepulchreta in templis cet.

Tum corporis exercitationem Noster tractat. Cap. V.
Sedentariam vitam potius ferre sexum sequiorem, quam potiorem Noster autumat, quoniam sunt domiciliorum amicae et omnes functiones, vbi robore et vi non opus est, lubenter atque facile suscipiunt. Ridiculum Nostro videtur, robustum virum conficere acus, rotas horologiorum cet. et debilem feminam oeconomicas res tractare, quae multo plus virium corporis postulant. Destituti autem sumus viris, qui negotia grauia suscipiunt et inde dimidia pars generis feminei, cum careant negotiis, minus vtilis est. Si puellae in mechanicis eiusmodi rebus instruerentur, non tam obscene quaererent quaestum ex corpore et agriculturae quoque cultores fierent viri.

Motum et temperantiam esse duo optimos medi- Cap.
cos, asseruit Cl. ROVSSEAV; neque eos medico indi- VII.
gere, qui haec duo recte seruant, Noster addit. Quapropter de intemperantia in septimo capite agit. Prima eaque profecto optima regula diaetae cernitur in simplicitate, quam natura tam curiose amat et voluptas hominum deprauata tantopere contemnit; inde ad intemperantiam hi inopinato ducuntur, sanitati et virtuti adeo noxiam. Qualis noxa in sanitatem redundat ex abusu spirituosorum neminem latet et Noster narrat exemplum feminarum duarum ebriosarum, quae liberos suos trucidarant, et medicis obtulerant, vt pecuniam acciperent ad emendum vinum adustum.

Iam

Cap. IX. Iam infectionem Noſter contemplatur. Plurimi morbi ſunt contagioſi. Quapropter magna cautio eſt adhibenda aegros viſitandi et cum iis verſandi, eorum veſtibus vtendi atque aegros ſepeliendi. Affirmat porro Noſter multos morbos nauigantium ſuperuenire iis, qui terra viuunt, per infectionem ideoque ſuadet hic easdem cautiones, quas ſolent in peſte perſequi. Huc iterum vrget Noſter publicam puritatem, e. gr. carcerum, noſocomiorum, platearum, ſepulchretorum, paludum, quippe quae optimum eſt remedium contra infectionem.

Cap. X. Deinceps animi commotiones Noſter pertractat. Ira motam ita vidit Noſter feminam, vt moreretur. Multi morbi fiunt epidemici prae timore et vi imaginationis. Moeroris remedium multi quaerunt in ebrietate, verum enim vero hoc remedium peius eſt malo. Opes enim fama et ſanitas pereunt.

Cap. XI. Poſtea diſſeritur de ſolitis excretionibus, quarum praecipuae ſunt, aluina euacuatio, vrina et inſenſilis perſpiratio.

Pars. II. In ſecunda parte, quae de morbis agit, haec notatu atque imitatu digna putamus. Medicamenta iudicat quidem Noſter neceſſaria, attamen ſine diaeta, quae ſimul cum remediis morbo et aegri conditioni accommodata eſſe debet, nil ſaepius poteſt a medico praeſtari, quin imo aſſerit, interdum diaeteticam curationem plus valere in morbis, quam remedia. E. gr. Neruis debilibus, flatulentiis aliisque hypochondriacis ſymptomatibus vexatos plus iuuant cibi duriores et potus generoſi, quam cardiaca atque carminatiua: ſcorbutum pertinaciſſimum magis coercet diaeta accuratior, quam omnia antiſcorbutica.

Appeti-

Appetitui aegroti satisfacit Noster et, si quo-
modo noxia et a morbi natura aliena postu-
lantur, paucam eius partem ei permittit. Id
enim quod aeger cupit et anxie quaerit, ventricu-
lus digerit quoque, nec raro exoptatus faustusque
inde apparet effectus. Quidquid solida relaxat, per-
spirationem impedit, motum humorum in mini-
mis vasis retardat, id corpus ad intermittentes febres
disponit.

In acutis febribus laudat Noster serum lactis Cap.
aurantiorum, vt refrigerans remedium. Aurantia IV.
coquuntur cum aqua s. lacte usque ad separationem.
Loco aurantiorum citri malum, parum tartari seu
aliquot cochlearia aceti vini sumi potest. Si haec
coquunt, subinde affundi possunt tria cochlearia
vini albi. *Negas* est mixtio vini et aquae ad aequa-
les partes cum succo citri s. aurantiorum. In acu-
tis omnino Noster suadet manuum et pedum cre-
brum lotionem, pariter si fieri potest, interdum
erectum corporis situm, ad minimum eleuationem
capitis ad impetum sanguinis huc arcendum. Lo-
co dolenti in pleuresia inungit hoc vnguentum:
Rec. Olei amygdalarum s. oliuarum ℥ij spiritus cor-
nu cerui ℥j M. in lagena saepe agitando vsque ad
plenam mixtionem. Non reiicit in pleuritide de-
coctum radicis senegae, a nonnullis specificum in
hoc morbo nominatum, quippe quod perspiratio-
nem, vrinam et aluum conducit. Coniungit dein
cum pleuritide peripneumoniam, quae et coniun-
ctim interdum apparent in pleuropneumonia et
quoniam hos morbos non raro sequitur tabes ner-
uosa, eam cum sua diuersitate hic persequitur.

Videtur Noster phthisin pulmonalem, hecti- Cap.
cam, febrem lentam neruosam cet. vt species con- VII.
siderare et genus constituere, quod cernitur in tabe
neruosa. Atque profecto possunt hi morbi omnes

ad

ad tabidum ſtatum, vt eorum omnium exitum referri. Nos hic attendimus potiſſimum ad quaedam ſigna. Tuſſis ſicca plerumque tabem annunciat, et ſi ea appareat poſt paſtum cum conatu vomendi, tabes valde propinqua eſt, digiti fiunt parui, vngues introrſum ſunt flexi. Equitationem in initio huius morbi praefert Noſter omni medecinae, deinde lac ac praecipue aſininum. De humano lacte conſtat Noſtro exemplum mariti, tabem paſſi, qui ex vxoris ſuae mammis lac ſugebat ſuamque ſanitatem ita plene recuperabat. Nec minus in tabe Noſter commendat oſtreas cum aqua ſua; item conſeruam roſarum.

Cap. VIII. In lenta ſeu neruoſa febre exhibet Noſter ſerum lactis ſinapinum, quod ex tribus ſinapi cochlearibus, dimidia menſura lactis et aquae, additis aliquot cochlearibus vini, ſi per tempus iam conparatur. Venaeſectio rariſſime locum habet in hoc morbo, omnem potius medelam ſpectat Noſter in veſicatoriis et roborantibus.

Cap. IX. Comparat hic Noſter malignas putridas exanthematicas febres cum peſte ipſa. In delirio ſuadet manuum et pedum lotionem cum decocto dimaemeli ſ. corticis tepido, ſeu linteorum applicationem hoc decocto imbutorum. Fomentationes has caput non ſolum leuant relaxando vaſa in extremitatibus, ſed penetrant per poros humoresque poſſunt ita corruptionem humorum coercere eque reſiſtere.

Cap. XII. Variolis laborantibus aegris nihil eſt ſalubrius, maiusque affert leuamen, quam vrinae largum profluuium. Liberum aerem ad eruptionem variolarum promouendam non ſuadet Noſter, nec bonam ſuppurationem in eo exſpectat. Nec conuenit variolosa facie in conſpectum hominum venire. Ammoniam et ichorem varioloſi puris inciſionem puſtularum

larum oportet dirigere. Inoculationem laudat Noſter et optat ad malum hoc imminuendum, quid quod fortaſſe eradicandum, vt eius vtilitas magis magisque appareat et praeſertim meticuloſis parentibus atque conſanguineis innoteſcat. Atque ad hanc vtilitatem magis vulgandam reiicit omnes ſuperfluas cautiones atque dubitationes, item nimis accuratam illam praeparationem, quam praeſertim alias diligentiſſime urgebant nonnulli. Hyemis initium iudicat Noſter optimum inoculandi tempus, quoniam obſeruauit circa finem veris et initium aeſtatis infantes maximis morbis obnoxios. Optima inoculandi aetas eſt inter tertium et quintum annum. Connatos morbos infantum non numerat Noſter inter contraindicantia inſitionis. Hi enim ea ipſa propelluntur et ſanitas emendatur cet.

Morbilli in Europa eodem tempore, quod erat initium huius ſeculi decimi tertii, quo varioli, apparebant et illi cum his gaudent magna affinitate. Morbilli raro reuertuntur, non ſaepe periculoſi ſequelas autem crebro valde, periculoſae euadunt. Foetes infantum colore viridi plerumque imbutae ſunt in morbillis. Morbillorum inoculationem *) aeque, ac variolorum iudicat maxime vtilem Cl. Auctor. Cap. XIII.

Angina gangraenoſa maligna, quae ſumme putredinoſa et vlceroſa eſt. Infantes potius quam adulti, ſexus potior magis, ac ſequior, infirmi facilius, quam firmi laborant hac angina. Graſſatur epidemice in autumno tempeſtate diu humida aut nimis calida. Roborantia et cardiaca huc vnice proſunt, reliqua remedia in inflammatoria angina, vt venaeſectiones, laxantia refrigerantia in gangraenoſa omnia nocent. Laudat hic conſuetudinem applicandi circa collum tibiale in hac angina et vt praeſeruati- Cap. XVII.

*) v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 271.

ſeruatiuum commendat collare ex panno laneo, experientiaque confirmat, ſi continuo eo vtuntur.

Cap. XVIII. In tuſſi laudat Noſter omnino emplaſtrum piceum inter ſcapulas applicatum. Pix Burgundica pura, dura atque pellucida magnitudine nucis moſchatae cum pauxillo cerae mixta, illinitur albo corio manus magnitudine, omni triduo locus detergitur, et per quatuordecim dies emplaſtrum eſt renouatum. Pruritum excitat, qui ſi nimius eſt, leniri poteſt frictione ſeu lotione cum lacte aut aqua tepida. Quod ſi vero emplaſtrum prorſus ſeponendum eſt, cautio eſt adhibenda, vt ſenſim ſenſimque hoc emplaſtrum in ambitu ſuo decreſcat, et tum tempeſtate clara et calida plane ſeponatur. Tuſſis ſtomachica a pulmonali ſeſe diſtinguit ita, vt aegri in pulmonali tuſſiat perſpiratione rite ſuccedente, in ſtomachica autem hoc minime fit.

Cap. XIX. Noſtro in inflammatione tam ventriculi, quam aliorum viſcerum nullum melius remedium conſtat, ac ſi loco affecto veſicatorium imponatur, illud ipſum crebra ſua experientia certo confirmat. Leniunt non ſolum dolores e. gr. in inteſtinorum inflammatione veſicatoria, ſed clysmatum et lenantium effectus accelerant, ſimulac veſica apparuit. Mercurium Noſter ſuadet in obſtructione aluina hac cautione, ne nimia in copia praeſenteque gangraena exhibeatur. Ita namque per grauitatem ſuam ventriculus nimis expanditur et eius exitus per pylorum impeditur. Noſter in eiusmodi caſibus coactus eſt aegrum pedibus ſuſpendere, vt mercurius iterum per os poſſit euocari. Quapropter copiam mercurii in hoc caſu non libram vnam ſuperare oportet. Colicae neruoſae dicitur petroleum Barbadenſe *) prodeſſe. Ter et ſaepius tres drach. mat.

*) *Neues verbeſſertes* Diſpenſatorium: *Aus dem Engliſchen überſetzet. Hamburg* 1768. 8. *Erſter Theil. p.* 43.

mae quotidie ſumi poſſunt, ſi ventriculus fert. Si aeger quid in ſpina dorſi ſentit et externe illud adhiberi poteſt cum ſic dicto *Rum*, ſeu ſpiritu alio aut oleo nucis moſchatis ſiue roriſmarini.

In haemorrhagia narium probatur a Noſtro lo- Cap.
tio e balneum partium genitalium. XXIII.

In puella quinque annorum deliquia animi per ho- Cap.
rae ſpatium obſeruauit a vermibus, ac ſi mortua eſſet. XXIV.
Incadauere dein magnam lumbricorum copiam inue-
nit et inteſtina inflammata quatuorque locis inſerta.

Inter remotas et accidentales cauſſas icteri re- Cap.
fert Noſter morſum viperarum, canis rabidi alio- XXV.
rumque animalium venenatorum.

Obſtructionibus aluinis qui laborant, ii non ve- Cap.
ſci debent pane albo ſeu ſimila. Cardialgiae mede- XXXI.
ri theam viridem, vt maſticatorium, inprimis in
grauidis Noſter ſaepe numero obſeruauit.

Symptomata morborum neruoſorum ſunt aci- Cap.
dum in ventriculo, vomitus: aqua enim pura, vi- XXXII.
ſcidum tenax, interdum niger quodammodo liquor,
colore Coffeae ſimilis, non raro per vomitum emit-
titur in his morbis; porro dolores valde premen-
tes et acres verſus vmbilicum cum torminibus et
borborygmis, in extremitatibus repens dolor cet.
Vticationi in paralyſi praefert veſicantia Noſter,
et viſco querno in epilepſia non omnem laudem
detrahit, diu autem id adhiberi putat. Singul-
tus eſt ſpaſmus ſiue conuulſio ventriculi et dia-
phragmatis et oritur a qualibet fibrarum neruoſa-
rum irritatione nimia. Narrat hic Noſter exem-
plum ſingultus, qui opio, moſcho aliisque non
poterat coerceri, ſed cereuiſia tenui, cuius vſum
ſequebatur ſaepe et diu ceſſatio ſingultus. Non
multum poſt vomitu cruento periit aeger et repe-
tiebatur verſus cardiam ventriculi magnus ſcir-

rhus. Incubum refert Cl. BVCHAN ad morbos neruorum eumque deriuat potiſſimum ab indigeſtione. In morbis hyſtericis et hypochondriacis ſignum pathognomonicum eſſe videtur crebra medicorum abdicatio et inſignis medicamentorum amor. Remedia autem non iuuant hos morbos, ſed labor, diaeta ſimplex et aer liber. Quapropter cum optimo ſuccessu ſaepe ſuaſit hortos et agros colere ſine omni omnino medicina in hoc morbo, pigrasque illas hyſtericas puellas amandat ad ergaſtulum, ibique eas labore curat.

Cap. XXXIII. In omnibus tribus regnis occurrunt venena et ſecundum hunc ordinem Noſter eadem hic perſequitur. Mineralia venena agunt acredine et eroſione, vegetabilia ſtupefaciente virtute ſunt praedita et animalia morſu et punctura cum corpore oportet communicari. Et in hac ratione poſita eſt differentia animalis a duobus prioribus. Non prius enim agit animale venenum, quam per vulnus. Atque hic potiſſimum contemplatur Noſter caninam rabiem atque ſerpentum morſuram variaque addit ſpecifica et antidota a Cll. MEAD, BROOKES cet. laudata. Omnino autem, licet non negare audeat Cl. BVCHAN, ſingulis venenis forte in natura occurrere quoque ſuum antidotum; tamen, cum omnibus hactenus antidotis laudatis quodammodo ſuam fidem deneget, mauult ſequentes regulas ſerio commendare: venenum in ventriculum delatum citiſſime eſt eliminandum; quod ſi vero per vulnus eſt corpori traditum, excretiones, imprimis ſudor, lotium et inſenſilis tranſpiratio, ſunt promouendae. Huc accedit cura antiſpasmodica, quam potiſſimum quaerit Noſter in opio, moſcho, camphora, aſa foetida ſimilibusque remediis.

Cap. XXXIV. Nullus morbus eſt ſolemnior, nec curatu difficilior, illo oculorum, etiamſi imperiti facile ſe ſcipiunt

ſcipiunt eorum curationem. Coecum quemdam commemorat, qui doctarum omnium linguarum eſt gnarus et in elegantioribus literis verſatiſſimus. Dum ſurditatem Noſter contemplatur, laudat, THOMAM BRAIDWOOD Edinburgenſem, qui ſurdis varia tradere poteſt ita ſcite, vt eius diſcipuli ſanos et integros ſaepenumero ſuperent. Optat eapropter, vt in emolumentum horum infelicium hominum atque vtilitatem rei publicae ſchola condatur, vbi poſſint erudiri coeci et ſurdi.

Scirrhos magnopere in carcinoma vergere vi- Cap.
det Noſter interdum diſcutit ſequentem in modum: XXXV.
primo pilulas mercuriales ex hydrargyri vncia vna, mellis quantum ſatis, gummi ammoniaci, extracti helleborinigri et rhabarbari optimi aa. vncia dimidiam per ſingulam ſeptimanam bis terue commendat. Venaeſectione, ſi opus, inſtituta, locus affectus bis quotidie vnguento mercuriali eſt fricandus et pannis laneis aliis obtegendus. Cibi ſint molles ad digerendum faciles. Potui interponendum eſt quotidie decoctum ſaſſaparillae. In carcinomate vero eoque aperto praeter cicutam aliaque laudat cum medicis Londinenſibus *) daucum ſatiuum et decoctum malti ſeu polentae **).

Mercurium in morbis venereis Noſter neceſſa- Cap.
rium quidem iudicat, attamen cautione adhibita. XXXVI.
Ante menſtrua ſeu iis fluentibus, vſus mercurii eſt nullus, pariter vt in grauiditate. Quod ſi vero, vrgente neceſſitate, illo opus eſt, grauiditatis finem non eſſe oportet proximum, et doſis ſit minor, nec tum ſaepe, quam alias fieri ſolet. Grauiditate finita.

*) Medical obſ. and Inquir. by a Societ. of phyſicians in Lond. Vol. IV. p. 358. v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 406.

**) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 407. Vol. hoc p. 236.

ta curatio ſerius eſt continuanda. Infantibus et ſenibus ob imbecillitatem, parcius eſt mercurius exhibendus. Praeterea omnino Noſter obſeruauit, mercurii vim in iuuenili aetate eſſe efficaciorem, quam in ſenili. Caute porro mercurio ſunt tractandi hypochondriaci et hyſtericae, epileptici, diarrhoea et dyſenteria vexati, ſcrophuloſi ſcorbuticique. Item vrget Noſter praeparationem ante mercurii vſum ad remedii vim facilitandam et ad ſymptomata arcenda, quae, neglecta praeparatione, ſuperueniunt. Haec praeparatio cernitur in vaſis relaxandis humoribusque depurandis. Huc pertinent balnea, venaeſectio, laxantia cet. Omnino Noſter puritatem, vt in omnibus morbis, ſic potiſſimum in venereo, maxime neceſſariam iudicat. Quamquam enim totum malum non vult Cl. Auctor ab impuritate deriuare; tamen obſeruauit, id ibi quam vehementiſſime graſſari, vbi impuritas fouetur. Ita namque ipſe obſeruauit balneis, fomentis, iniectionibus cet. infectionem recentem non ſolum coerceri, ſed inueteratam quoque labem tolli. Exempli loco narrat caſum, vbi vlcera venerea, licet diu tentata remediis, ob puritatem neglectam non potuerunt ſanari, quae, ea adhibita, facile cedebant.

Cap. XXXVII. Inter morbos muliebres refert Noſter et ſteritatem. Raro enim feminae ſteriles integra gaudent ſanitate. Tres hic potiſſimum ſterilitatis cauſſas perſequitur, nempe nimis lautam diaetam, corpus imbecille et moerorem. Inde quoque accidere ſolet, vt pauperes, parco et vili victu vtentes, multos liberos generent, ac diuites haeredibus ſint deſtituti. Diaeta ergo vegetabilis et lac ſaepe ſterilitatem mutarunt in fertilitatem.

Cap. XXXVIII. Morborum infantilium generationi non ſemper ſeruit acidum, ſed illud ſaepe eſt ſymptoma. Contra hoc in primis laudat Cl. Auctor magneſiam Edinburgenſem

burgenſem ſ. ſalis amari. Recens natis lac mammulis non eſt exprimendum. Aſthmate infantum, de quo Cl. MILLAR *) diſſeruit, ſuadet Noſter inter alia et cataplasmata emollientia circa collum ſ. fomenta, veſicatoria in ceruice, piceum emplaſtrum inter ſcapulas cet. Prima cauſa rhachitidis ſunt parentes debiles.

Quaedam monita chirurgica hic Noſter tradit valde neceſſaria et communia. Ac primum quidem venaeſectionem ſpectat. Electio loci Noſtro non adeo neceſſaria videtur, exceptis localibus ſeu partialibus inflammationibus, vbi Noſter eam quam proxime ſuadet. Ceterum ideam deriuatoriam et reuulſoriam in venaeſectione non attendit. Hirudines loco veneſectiones in infantili aetate potiſſimum non amat Noſter, partim, quoniam ſanguinis copia non accurate poteſt definiri, partim ob incommoda, quae non raro ſequuntur. Contuſionibus conducunt inter alia et bouina excrementa externe loco cataplaſmatis. In vlceribus phagaenicis laudat Noſter internum et externum vſum mixturae Swieteniae. Luxationem colli Noſter vidit a feminis et viris, medicinae ignaris reponi, item et aliarum partium luxationes, fracturas hernias cet. hic commemorat. Cap. XXXIX.

Inter alia mala accidentia et merſorum Noſter contemplatur. Atque hic potiſſimum vrget vtilitatem aeris per os cum iis communicati. Ter enim hunc bonum ſucceſſum vidit Noſter in animali. Porro, ſi quoque de vita deſperandum eſt, ſuadet auxilia iis nihilominus ferre, quoniam poſt ſex horas vitae eorum reſtitutionis exempla proſtant, atque ideo illi miſeri non ſtatim ſunt derelinquendi. Praeterea haec auxilia, quae alibi **) a nobis Cap. XXXX.

*) v. comm. noſtr. Secund. decad. Suppl. IV. p. 695.
**) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 147. XX. 633. XIX. p. 641.

bis ſunt commemorata, diu et aſſidue ſunt continuanda.

III.

Caſes in the acute rheumatiſm and the gout; with curſory remarks, and the method of treatment. By THOMAS DAWSON, M.D. of the College of Phyſicans, London. — The ſecond edition. London: Printed for I. Iohnſon, and P. Elmsly. MDCCLXXV. 8. mai. pagg. 132.

i. e.

Caſus in rheumatiſmo acuto et arthritide; cum annotationibus hinc inde interſperſis, methodoque medendi. Auctore Cl. DAWSON Editio ſecunda.

Remedium, quod aduerſus vtrumque morbum proponit Noſter, componitur ex vncia dimidia tinẽturae volatilis gummi guaiaci, cum vitello ouorum ſubactae, quo melius cum aquae hordei vnciis tribus commiſceri ſe patiatur; addita deſuper vncia dimidia ſyrupi communis: qui hauſtus mane et veſperi ſumtus, quod addita curationum exempla docent, intra paucos dies atrociſſimos rheumatiſmi gradus vicit.

Quantitatem vehiculi huius tinẽturae maximum trium vnciarum eſſe debere monet, plures tamen aegros multo minorem ferre: ſic etiam ſyrupi quantitatem interdum multum minuit. Vbi opus erat, tinẽturae thebaicae guttas aliquot adiecit: praeparatione corpus vix indiget, niſi, quum ſtatus morbi id neceſſario exigat, venaeſectione duabus ante

horis

horis inſtituenda, quam medicamento vti incipiamus. In genere vehementer improbat Noſter conſuetam methodum rheumatiſmos acutos tractandi, qua febris vtiliſſimum naturae inſtrumentum, plus iuſto deprimatur vel penitus tollatur, ideoque facile malo chronico ortus ſuppeditetur; docetque, aegros absque hac methodo, ſolo naturae negotio commiſſo, melius ſe habuiſſe, et facilius, intenſiore licet febre, medicamentum iſtud tuliſſe. Effectus eiusdem primarios exiſtimat: non ingratam ſenſationem in ventriculo (caloris ſenſum nonniſi in ore, quum ſumerent medicamentum, ſeſe percepiſſe faſſi ſunt aegri); augmentum caloris per corpus, non tamen moleſtum, ſed cum refectione potius coniunctum; tranſpirationem et diureſin auctam, et hanc quidem cum manifeſtis iudicati morbi ſignis; denique, poſt aliquot doſes, aluum ſolutam, quam in principio morbi reformidat, et magis ſiccam amat.

Sublato morbo corticis Peruuiani cum confectione cardiaca vſum praeſcribit, adhibitis ſimul balneis frigidis, quae tamen praeiudicia aegrorum non ſemper admittere conqueritur. Idem etiam modus medendi Noſtro in arthritide ſaepius ex voto ſucceſſit, ad quem tentandum eum conuenientia vtriuſque morbi inter ſe deduxit: imo, quum experimenta a ſe capta per plurium medicorum obſeruationes confirmata fuerint, forte aliquando vſum ſpecificum aduerſus dirum hunc morbum inventum iri ſperat.

Praeterea paſſim meditationes ſuas de iuſto vſu atque effectu volatilium in diuerſis morbis, a multis, ipſo etiam HVXHAMO, in dubium vocatis; de obligatione medicorum, maiores doſes medicamentorum tentandi, vti Cl. BROKLESBY in nitro, et olim iam SYDENHAMVS primus in cortice peruuia-

no eſt auſus; de inſigni efficacitate tincturae valerianae volatilis, ad dimidiam, imo integram vnciam in duabus vnciis aquae dilutam pro doſi exhibitae, in morbis ſpaſticis ſyſtematis neruoſi, cet. inſpergit, et quantum in curandis morbis praeſtet obſervatio prae ſola theoria, febrium intermittentium inprimis exemplo, declarat.

VI.

A new inquiry in to the cauſes, ſymptomes and cure of putrid and inflammatory fevers; with an appendix of the hectic fever and of the ulcerated and malignant forethroat. By WILLIAM FORDYCE M. D. Lond. 1773. printed for Cadell. 8. pagg. 228.

i. e.

Disquiſitio cauſſarum, ſymptomatum et medelae in putridis et inflammatoriis febribus. Accedit appendix de febre hectica deque maligna vlceroſa angina. Auctore GVILIELMO FORDYCE. M. D.

Tribus ſectionibus Cl. Auctor hanc ſuam rem proponit. Ac primum quidem febrium hiſtoriam praemittit et in varias earum inquirit cauſas; dein ſymptomata febrium ex pulſu, ex vrina, ex ſanguine, lingua cet. perſequitur et varia ſigna inde deriuat, denique medelam febrium variam tractat et quomodo eae ſint arcendae, docet. Finem faciunt ſingularis conſideratio febrium hecticarum, variarum ſpecierum gangraenoſae anginae et nonnullae formulae. Vtilis itaque videtur accurata huius libri verſio Germanica *).

Febrium

*) WILLIAM FORDYCE *Unterſuchung der Urſachen, Zufälle und Heilung der faulen und entzündungsartigen Fieber.*

Febrium tres conſtituit Noſter claſſes: inflam- Sectio
matorias nempe, putridas, et mixtas ex his duabus, I.
et cum FRIDERICO HOFFMANNO eſſentialem caſterem febris ponit in quolibet impedimento liberi circuli ſanguinei, quod eius aequilibrium turbat. Communes cauſae febrium ſpectantur in aëre, eiusque quoad calorem et frigus viciſſitudine, anni temporibus, coeli plagis cet, in bile, ſanguine, diaeta cet. Si ſanguis nonnullas horas poſt coenam e vena euocatur, videtur cruor Noſtro in liquore lacteo natare. Bilem quoad eius indolem compatat Noſter cum FRIDERICO HOFFMANNO cum ſuccis amararum plantarum inprimis centaurii minoris et amara in locum bilis ſubſtituit.

Diſtinctionem febris inflammatoriae et putri- Sectio
dae efficit deiectio animi inſignis, quae potiſſimum II.
cadit in putridas febres. In iis porro capitis dolor potius debilitat, quam acerbus eſt, ſimilis eſt illi, quem aegri ex applicatione veſicatoriorum ſentiunt. De craſſitie et denſitate ſanguinis in inflammatoriis febribus dum Noſter diſputat, aſſerit Noſter ſimilem cruſtam in grauidis, quae ad obſtructiones erant procliues, et in feminis, menſtrua non rite celebrantibus, apparere. In vltimis menſibus grauiditatis hic quinquies vel ſexies venaeſectionem Noſter admittit, donec pulſus minus micat, quam quinquageſies in vno minuto primo. Portio ſanguinis erat quinque vel ſex vnciarum. Nullus pulſus meretur maiorem attentionem, quam durus et aequalis, qui inflammationem, vaſorum repletionem, obſtructionem in vaſis minimis et omnino ſanguinis denſita-

Fieber. Mit einem Anhange von dem bectiſchen Fieber und der bösartigen und mit Geſchwüren verknüpften Bräune. Aus dem Engliſchen überſetzt. Leipz. bey Caſpar Fritzſch. 1774. 8.

tem prodit. Sed ad pulmonum et inteſtinorum inflammationes recte diiudicandas non pulſus ſolus ſufficit. Inflammatis enim iis partibus, vt et in phrenitide, et durante iam morbo, inprimis ſi cerebellum patitur inflammationem, pulſus nec ſanguinis conditionem, nec morbi magnitudinem et periculum indicat. Id quod ſaepenumero fallit medicos in ſuadenda et diſſuadenda venaeſectione, quam pulſus ſolummodo, ratio et ſanguinis conditio definire poſſunt. Qua occaſione dicit contra praeconceptam opinionem, non plures debere inſtitui venaeſectiones, quam ad ſummum quinque. Vrinam criticam coctam in inflammatoriis morbis HIPPOCRATES optime obſeruauit, quem hic ex propter laudat. Pariter GALENVM, SYDENHAMVM et BOERHAAVIVM hic conſulit, itemque morborum ſine criſi, qui dicuntur ἄκριτοι, et dierum criticorum mentionem facit. Nunquam, duobus exemplis exceptis, Noſter vidit morbi acuti curationem plenam, vbi non ſerius ociuſue ſedimentum craſſum in vrina apparuerit. Quamquam enim ex obſeruationibus optimorum quorumque tum veterum, cum recentiorum Auctorum patet, febris finem non a materia, quae per vrinam excernitur, pendere, tamen inde multoties, indoles, durtio et exitus morbi deriuari poſſunt.

Sectio III. In conſeruatione virium, acris et ſtimulantis emendatione et excretione, reſolutione et euacuatione viſcidi tenacis et ſymptomatum imminutione praeſtandis cernitur apud Cl. FORDYCE vniuerſalis omnium omnino febrium curatio. Hic autem potiſſimum diſquirit Noſter, quando inflammationi putredinique refrigerantibus et calefacientibus reſiſtendum, ſeu quando in mixtis ex his duobus febribus vtraque methodo agendum et quo-

nam

num morbi ſtatu calefaciente, et quonam refrigerante vtendum ſit. In omnibus morbis inflammatoriis reiterata venaeſectio prodeſt. Porro ſuadet hic Noſter diſquiſitionem ſalium e. gr. eſſentialium, neutrorum, acidorum et alcalinorum, tartari et eius praeparationum ad morboſos humores corporis in emolumentum aegrorum corrigendos, mutandos et eliminandos. Contra eos potiſſimum quoque dicere videtur, qui mediis inprimis ſalibus nihil tribuant, praeter aperientem et inteſtina deterrentem vim eaque reiiciant prorſus in putridis, quoniam febres prolongant, et relinquit hoc poſteritatis iudicio, commendatque accuratam ſalium praeparationem et curioſum eorum examen. Quaedam hic addit Noſter de vſu et abuſu corticis Peruviani, et, remedii huius hiſtoria omnino repetita, aſſerit, eum nocere ſemper inflammationi, e. g. cerebri, pulmonum, hepatis ſeu alius viſceris, quoniam tenſiones fibrarum auget, et ſanguinis ſpiſſitudinem; eoque non prius vti poſſe medicum, quam circa finem eiusmodi morbi, maſſa ſanguinis iam aliquatenus depurata et attenuata, nec non humoribus omnino vel remediis vel duratione febris correctis. Antimonialia praeparata nunc Noſter expendit, quorum vires pendent a regulinis partibus, eaque in duas claſſes diſpertitur. Prima ea complectitur, vbi regulus antimonii cum nullo acido, ſed cum vna parte ſui ſulphuris, quod a communi ſulphure parum vel nihil differt, eſt coniunctus; altera claſſis ea continet, vbi regulus cum acido combinatus eſt. Omnia haec praeparata ſunt periculoſa vera praeſente inflammatione. Occaſione puri aëris, vt medelae febrium loquitur Noſter quoque de interno et externo vſu aëris fixi in putridis morbis, cuius vim Cll. viri PRIESTLEY et PRINGLE *) inpri-

*) v. comm. noſtr. Vol. h. p. 124. ſeqq.

inprimis notarunt; item in tranſactionibus philoſophicis *). Inter acida mineralia Noſter praefert acidum ſalis communis partim ob ipſam ſuam experientiam, partim ob vim antiputridam ſalis marini **), quam ei vbique tribuunt. Pariter laudat Cl. PRIESTLEY aquam aere fixo imbutam ***) in putridis febribus. Opium Noſter in febribus vt remedium anodynum et ſedatiuum hic diiudicat atque narrat, ſe delirantem ſuaſore et auctore Cl. DUNCAN die ſeptimo febris miliaris centum et ſeptem guttas ſumſiſſe intra viginti et quatuor horas cum bono ſucceſſu. Vini vſum et abuſum in febribus perpendens Noſter, illud in putridis potiſſimum maiorem in modum commendat. Sequitur Noſter in methodo medendi febribus inflammatoriis veteres et recentiores, qui illas venaeſectionibus et victu parco et tenui optime domarunt. Veſicatoria et ſinapiſmi conueniunt circa finem febris inflammatoriae, apparente debilitate, Cl. FORDYCE autem videtur hic praeferre vapores ex calida aqua, aceto et ſinapi.

Progredimur cum Noſtro ad appendicem. Vrget hic potiſſimum in anginis accuratam faucium et tonſillarum diſquiſitionem, narratque mirum caſum, vbi pinna piſcis in tonſillis haerens irritabat et anginam mentiebatur. Qua extracta, bene ſe habebat aegra. In cadauere, quod angina eſſe demortuum dicebatur, reperiebantur nonnullae guttulae materiei in rima glottidis, nec vlla veſtigia anginae.

V.

*) v. comm. noſtr. Vol. h. p. 89. ſeqq.

**) v. ib. Vol. XX. p. 535.

***) v. ib. Vol. h. p. 125.

V.

Semiotice phyſiologicam et pathologicam generalem complexa. In vſum praelectionum academicarum conſcripſit CHRISTIANVS GODOFREDVS GRVNER, Med. Doct. et Prof. cet. Cum priuilegio Saxonico Electorali. Halae Magdeburgic. impenſis viduae Gebaueri et filii 1775. 8. maj. pagg. 697. praeter dedicationem et praefationem. Cum tab. aen. 2.

Praeſtantia, vtilitate, neceſſitate, varietateque ſemiotices tam phyſiologicae quam pathologicae a Noſtro ſatis accurate, vti ſolet Cl. GRVNERVS, medico cuique oſtenſa, additis que inſuper cautelis, quomodo prudenter hic medico ſit agendum, ne fallatur his ſignis, in diagnoſi pariter ac in prognoſi, ordinem, quem in explicanda ſignorum medicorum doctrina ſequitur, ediſſerit Noſter. En tabulam:

Pars I. SEMIOTICE PHYSIOLOGICA.

Cap. I. De ſignis ſanitatis ex mutatione corporis naturali ſ. aetate.

— II. De ſignis ſanitatis ex actionibus.

A) Vitalibus.

B) Animalibus.

C) Naturalibus.

D) Sexus.

— III. De temperie, vt ſigno ſanitatis.

— IV. De ſingularum corporis partium habitu, vt ſanitatis ſigno.

Pars II. SEMIOTICE PATHOLOGICA.

Cap. I. De actionibus vitalibus, vt ſignis.

Sect. I. De pulſu, vt ſigno.

Subſect. I. De pulſibus Sinenſium.

Sub-

Subſect. II. De praecipuis ac praeneceſſariis pulſuum generibus.
— III. De praecipuis pulſibus Galenicis.
— IV. De pulſibus nuper excogitatis, ſ. Organicis.
Sect. II. De reſpiratione, vt ſigno.
Cap. II. De actionibus animalibus, vt ſignis.
Sect. I. De motu tonico, vt ſigno. *Eſt vero ille*
Subſect. I. Excedens modum, *quo continetur*
A) Irritabilitas Halleriana nimia.
B) Horror.
C) Rigor.
D) Sternutamentum.
E) Riſus.
F) Tuſſis.
G) Singultus.
H) Pavor.
I) Tendinum ſaltus.
K) Conuulſio.
Subſect. II. Deficiens, *quo nomine comprehenditur*
A) Debilitas.
B) Laſſitudo et torpor.
C) Oſcitatio.
D) Vocis defectio, ſ. Aphonia.
E) Animi deliquium.
Subſect. III. Mixtus, *eoque, noſtra quidem ſententia, referuntur*
A) Tremor.
B) Palpitatio.
Sect. II. De ſenſibus externis, vt ſignis. *Huc pertinent*
Subſect. I. Viſus.
— II. Olfactus.
— III. Guſtatus.
— IV. Auditus.

Subſect.

Subſect. V. Tactus.
Sect. III. De ſenſibus internis, vt ſignis.
Subſect. I. Somnus, vigiliae, inſomnia.
— II. Conſtantia mentis et delirium.
— III. Fatuitas et obliuio.
— IV. Dolor et ſtupor.
— V. Vertigo.
Cap. III. De actionibus naturalibus, vt ſignis.
Sect. I. De actionibus primarum viarum laeſis, vt ſignis. *In his collocantur*
Subſect. I. Sitis.
— II. Deglutitio et manducatio.
— III. Appetitus et fames.
— IV. Ardor ventriculi, ructus, flatus.
— V. Nauſea et vomitus.
— VI. Digeſtio et ſucci nutritii praeparatio.
— VII. Dejectio atque vermes.
Sect. II. De actionibus ſecundarum viarum, ſ. ſecretionibus et egeſtionibus, vt ſignis. *Huc ſpectant*
Subſect. I. Saliuae fluor et ſputa.
— II. Tranſpiratio et ſudor.
— III. Vrina.
Cap. IV. De actionibus ſexus, vt ſignis.
Sect. I. De actionibus ſexus potioris laeſis.
— II. De actionibus ſexus ſequioris laeſis.
Cap. V. De iudicatione morborum, vt ſigno.
Sect. I. De dierum decretoriorum veritate ac dignitate.
— II. De cruditate, coctione veraque iudicatione, *illa que fieri ſolet*:
Subſect. I. Per gangraenam.
— II. Per abſceſſus ſ. Suppurationem et eruptiones cutis varias, *quas Graeci ἐξανθήματα appellant.*

Sub-

Subſect. III. Per expulſionem humorum, *idque* emiſſariorum miniſterio. *Sunt vero praecipue viae, quibus morbi iudicantur,*

A) Profluuia ſanguinis varia.
B) Sudor.
C) Saliuae fluxio et ſputa.
D) Vrina.
E) Vomitus.
F) Deiectio.
G) Coniunctio plurium egeſtionum.

Cap. VI. De morbis recidiuis, vt ſignis.
— VII. De ſignis malignitatis.
— VIII. De ſanguine reliquiſque humoribus, vt ſignis.
— IX. De habitu corporis, vt ſigno.

Sect. I. Corpus bene valenti ſimile vel diſſimile.
— II. Nimium atque ſubitum ſtaturae incrementum.
— III. Nimia macritudo vel tumor.
— IV. Calor et frigus corporis, mador et ſiccitas cutis.
— V. Color corporis vniuerſi aut partium vitiatus.
— VI. Pruritus et cutis vlcuſcula longa.
— VII. Caput externum.
— VIII. Facies eiusque partes.

A) Facies vniuerſe dicta.
B) Tempora.
C) Auriculae externae atque ſordes aurium.
D) Frons.
E) Nares.
F) Genae atque maxillae.
G) Labia et mentum.

H)

H) Os, dentes, atque gingiuae.
I) Lingua et fauces.
K) Facies Hippocratica.
L) Collum et ceruix.
M) Dorſum.
N) Thorax eiusque percuſſio.
O) Praecordia.
P) Extremitates corporis.

Cap. X. De aegri cubitu, vt ſigno.
— XI. De moribus aegri, vt ſignis.
— XII. De mortis ſignis.

Semioticen phyſiologicam, quam et b. LVDWIGIVS *) in phyſiologia tractauit, praemittit hic Cl. Auctor recte aſſerens in proemio, ſine ea non poſſe ſufficienter intelligi pathologicam. Diuidi pariter poſſunt ſigna corporis ſani in anamneſtica, diagnoſtica atque prognoſtica, ac morboſi. (Summus vero in ſanitate perfecta diiudicanda concentus actionum, quaſique conſpiratio, eſſe debet eamque ob cauſam illa aeſtimatio res eſt perardua. Hinc intelligitur, non eſſe ſignum quoddam ſanitatis proprium, quod ſigno pathognomonico ex aſſe reſpondeat, niſi velis eadem, qua in ſemiotice pathologica haud raro fit, via et ratione plura ſimul aſſumere exindeque iudicare.) Noſter tamen, vti ex tabula ſupra addita intelligi poteſt, hunc rerum tractandarum ordinem non vbique ſequi potuit. p. 19.

Nos de ſingulis quibusdam videamus. Ad actiones animales e. gr. ſine dubio pertinet irritabilitas Halleriana naturalis i. e. nec nimis affecta et proſtrata, nec nimis increſcens. Prior enim imbecillitatem corporis, humorum tarditatem, muſculorum p. 28.

*) v. comm. noſtr. Vol. II. p. 141.

lorum ſegnitiem, motus diminutionem ſenſusque hebetudinem indicat, poſterior contraria omnia. Calor fugax poſt alimenta ſumta bonam digeſtionem, lactei humoris ſuctionem, facilem in ſanguinem tranſitum et commutationem indicat, item ſenſus in ſcrobiculo cordis ingratus aut nullus, aut perexiguus.

p. 30. Sufficit Noſtro temperiem ſanguineam et phlegmaticam, cholericam atque melancholicam adduxiſſe atque monet, ea ſigna, quae de temperie varia memorauit, non ſemper neque vbiuis adeſſe, aut ſine vlla contagione, item temperiem moralem cum phyſica non eſſe confundendam.

Pars. II. p. 39. Oportet hanc ſemioticen pathologicam ita diſcere, primum vt fiat generalis ſignorum communium recenſio, quae illa ſint, bona malaue, vtrum omne in corpus cadunt, an in partes, dein vt iſta ſigna ſingula ſingulis morborum formis accommodentur et memoria teneantur. Eſt igitur ſemiotice pathologica vel generalis, vel ſpecialis, adeoque nec illum ordinem ſequi piget, nec legem eam, quam ſibi ipſe ſuperius ſcripſerat, prorſus negligere, quoniam hac via naturali quaſi ad meliorem quandam certioremque cognitionem peruenimus. En tabulam *). Vtraque vero ſemiotice copulanda atque iungenda eſt, quoniam altera alterius haud raro eſt emendatrix.

p. 46. De pulſibus Sinenſium haec notamus. Serum, aetatem, ſtaturam, habitum corporis bene diſtinguat medicus et meminerit, tres in vtroque latere locos eſſe, nimirum ſub carpo, infra eminentiam oſſis cubiti ſeu radii, et verſus cubitum, huic ſcientiae deſtinatos; vnumquodque viſcus proprium habere pulſum eumque in ſuperficie, medio ac profundo

*) v. ſupra p. 603.

fundo loco esse indagandum; dein sciat pulsus naturales, varias tempestates annique vicissitudines et quid quisque praesignificet; tertio videat an per novem aeris reciprocationes et vndequinquaginta ictus iidem permaneant pulsus, nec ne. Noster verò hanc hic operose collectam doctrinam de pulsibus Sinensium iudicat perabsurdam mancamque.

De praecipuis ac perneceſſariis pulſuum generibus. Pulsus diiudicandus est ratione temporis, roboris, inflationis arteriarum, tensionis, rhythmi atque quietis. Atque hic Noster persequitur pulsum celerem et tardum, longum et breuem, altum, profundum, latum, anguſtum, frequentem et rarum, fortem et debilem, vehementem et exilem, magnum et paruum, plenum et vacuum, vndosum, durum et mollem, aequalem et inaequalem, intermittentem, ordinatum et inordinatum crepitantem. Nec minus ostendit Noster, quid hi pulsus significent, quomodo coniuncti sint inter se, cet. nonnullasque cautiones addit, inprimis quoad inaequales, et quoad explorationem pulsuum. p. 72.

Quo facto, ad praecipuos Galenicos pulsus Noster venit, quos non omnes negligendos esse autumat, quia, missis aliis cauſsis, naturae atque experientiae satis respondent. Diuiduntur omnes hi pulsus ex GALENI doctrina in nouem genera: 1) quantitate distensionis, 2) qualitate motus, 3) qualitate ictus, 4) qualitate arteriae, 5) tempore quietis s. interualli, 6) arteriarum dimensione s. plenitudine ac vacuitate, 7) ratione rhythmi s. ordinis, 8 et 9) ratione aequalitatis. p. 110.

Postea in his GALENI placitis quodammodo bene emendandis ac recte corrigendis multus olim

fuit IOSEPHVS STRVTHIVS *), quem et Noſter idcirco appellat monitorem, correctorem ac ducem ſecuriorem minusque obſcurum in intelligenda pulſuum Galenicorum doctrina. Pulſus ſunt in vniuerſum ei vel ſimplices, vel compoſiti, vel cum relatione. Simplices porro 1) quantitate diſtenſionis, vt magnus, mediocris paruusque pulſus. 2) Qualitate motus, hinc celer, mediocris, tardus. 3) Quantitate temporis ſ. quietis e. g. creber, mediocris, rarus, 4) qualitate virtutis ideoque vehemens, mediocris, languidus, 5) qualitate arteriae, ergo mollis, mediocris, durus. Ex his ſimplicibus derivat STRVTHIVS compoſitos. At relationes pulſuum dicuntur ordo et ataxia i. e. ordinis perturbatio, rhythmus, aequalitas et inaequalitas. Habet praetere STRVTHIVS haud pauca eaque perappoſita de pulſibus organicis, quae recentiorum nonnulli paululum modo immutaſſe videntur Noſtro.

p. 125. Quam ob rem agit quoque nunc Cl. Auctor de pulſibus nuper excogitatis ſiue organicis. Commemorat primum Noſter Auctores, qui ſunt FRANC. SOLANVS DE LVQVES Hiſpanus, eiusque interpres IAC. NIHELL, THEOPH. BORDEVIVS, HENR. FOVQVETVS, MICHELVS, DAN. COX, MILCOLOM. FLEMING, IO. IOS. MENVRET, LE CAMVS, BALME, WETSHIVS, MARQVETVS cet. eorumque placita de pulſu perſequitur. Omnes recentiorum medicorum pulſus eſſe debent vel *critici*, quos SOLANVS et Hiſpani reliqui et BORDEVIVS habent, vel non *critici, ſymptomatici, organici*, teſtibus FOVQVETO

*) EIVSD. ars ſphygmica ſeu pulſuum doctrina ſupra MCC annos perdita et deſiderata, omnibus tamen medicinam cum nominis celebritate maximaque vtilitate facere volentibus ſumme neceſſaria. Basil. 1602.

QVETO et WETSCHIO. Tota haec autem pulſuum nuper excogitatorum ſcientia non adeo magnae vtilitatis eſſe Noſtro videtur.

Ex variis reſpirationis formis notamus ſpiratio- p. 173.
nem calidam atque frigidam, male olentem ſeu foetentem, ſuſpirioſam, ſtertoroſam, luctuoſam cet. Inter cautiones additas a Noſtro erat et haec: vide ne in febribus acutis ante ſtatum ab reſpiratu indicia ſumas, ſiquidem plurimi aegrorum, vbi iudicatio imminet, difficulter ſpirant et paulo poſt melius ſe habere videntur.

Ad actiones animales, quae in ſenſu et motu p. 194.
eernuntur, addit Noſter Stahlianorum doctrinam de motu tonico. Ac primum quidem de motu tonico tanquam morborum teſtimonio agit, deinde ad ſenſus externos progreditur, denique ſenſus internos diligenter percenſet, non neglectis variis earum formis aut ſignis, quae exinde a medico deduci poſſunt et debent. Motum tonicum diuidit Noſter cum Cl. JVNCKERO in excedentem, et deficientem et ex harum iunctione conflatum ſ. mixtum. Ad primum genus, Noſtro iudice, referenda ſunt irritabilitas Halleriana nimia, horror, rigor, ſternutamentum, riſus, tuſſis, ſingultus, pauor, tendinum aſſultus atque conuulſio: ad alterum debilitas, laſſitudo et torpor corporis, oſcitatio, vocis defectio ſ. ἀφωνία et animi deliquium, denique tremor et palpitatio cordis.

Nec minus irritabilitas, Halleriana facit certio- p. 201.
rem perantiquam doctrinam veterum de diebus decretoriis morborumque iudicationibus. Quo magis enim morbi materia aegros irritabiles aut tardos exercet, eo citius aut tardius finietur, eo vehementiores aut debiliores ſolidorum humidorum-

que motus ſubſequentur, eo maius aut minus periculum eo certius exitium aut ſalus erit.

p. 241. Pergit Noſter ad ſenſus externos, et viſus, olfactus, guſtatus, auditus et tactus percenſet, ſigna. Peſſima morbi eſt forma, in quo oculi caligant, lucem auerſantur, illacrumantur, intro corrugantur, voluuntur et veluti rigent, id quod imbecillitatis et conuulſionis ſignum eſt; in quo venulae rubent, liuent vel nigreſcunt, nec non ſordes et ſqualor eorum aciem hebetant, ſi obtutus lugubris oritur, quem oculi hebetiores, languidiuſculi, ſqualidi, raro vel tarde moti, itemque bulbus viſcidus et ſordidus, cornea flacca, minusque extuberans, pupilla amplior, humor aqueus nec purus, nec pellucidus cet. fere exprimunt.

p. 304. De actionibus naturalibus agens Noſter, vt ſignis, eas quatenus ad primas atque ſecundas vias
p. 342. pertinent, perſequitur. Hic de ſaliuae fluore, ac ſputis, vt ſignis, agit. Poteſt enim ſaliua, vel nimia copia profluere vel prorſus deficere aut cum ſapore malo inſici. Sputorum nomine Noſter comprehendit omnino quicquid ex ore vna cum ſaliua ſcreatu, ſpuitione, tuſſi reiicitur, diſtinguit illa a ſe inuicem modo et effectu ſputi reiiciendi, quantitate, conſiſtentia, miſtura, ſapore, odore, colore, figuraque et diuidit inde ſputa in bona atque mala. Illa ſunt alba, laeuia, aequalia, moderate craſſa, nec adeo viſcida, nullo prauo colore infucata, ſine multa et vehementi tuſſi, cum ſignorum alleuatione in morbis pectoris ſine inflammatione et febre; in acutis vero pectoris morbis ſputa bona ſunt, alba ab initio, laeuia, aequalia ſanguine pauco contaminata, ſubflaua, facile et tertio die iam apparentia, ceteris emiſſariis non

non intercluſis; at minus tuta ſunt, quae ſerius incidunt. In ſuppuratis bonum pus cenſetur album, decoloratum, pituitoſum et copioſum, ſine febre, dolore cet. Contra malum ſignum eſt crebro ſpirare, vix exſcreare, dolorem habere continuum cet. humorem glutinoſum dentibus inhaerentem, pectus calidiſſimum, extremitatesque frigidas.

Haec mala ſunt ſigna, e. gr. pituitoſa, ſalſa, acria nigra, cum ſtertore extuſſita, flaua vel fulua, viridia, aeruginoſa liuida, foetida cet. p. 156.

Vrinae oleoſae ſeu pinguis tres ſpecies effinxerunt veteres, nempe elaeochroan, elaeophanem et elaeodem. Eſt vero haec vrina apparenter modo pinguis et ſalinam potius, quam oleoſam cuticulam refert in cremoris ſimilitudinem, interque ſigna peſſima eſt numeranda. p. 378.

Dum de arenulis in vrina ſcorbuticorum arthriticorum cet. refert Noſter, Cll. KLINKOSCHII et TICHY *) mentionem facit, qui oſtendit iſta corpuſcula non arenulas eſſe, ſed vere ſalem vrinae natiuum. p. 412.

Inter cautiones de vrinarum iudiciis et praeſagiis notamus: In aegro omnia conſiderari debent ante, quam ex vrina praeſagias, alias enim ſigna iſta facile fallunt; ceteris morbi ſignis bonis, vrina mala terrere non debet; multis in morbis ſigna ex vrina nulla ſunt v. c. in febre peſtilentiali, in morbis, qui ſingula corporis membra vel ſolidas partes tenent. p. 420.

Raro menſtrua lactantes incommodant et fere infanti lactenti nocent. p. 433.

Dies decretorios Noſter largitur et cum b. SWIETEN defendit, ſunt ii pares et impares, mali et boni, vere decretorii, et indices, contemplantes, p. 448.

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 726.

contemplabiles, intermedii. Huc etiam pertinent dies intercalares ſeu intercidentes, coincidentes, intercurrentes, prouocatorii. Magna vis medici cernitur in harum dierum cognitione ac nititur ſtadiorum varietas: e. g. principium morbi augmentum ſeu adſcenſus, ſtatus, decrementum ſeu declinatio; ſiue cruditas, coctio, criſisque ſeu vera iudicatio.

p. 482. Saepe quoque morbus iudicatur per gangraenam. Haud enim rarum illud gangraenae ſiccae genus eſt, quod acutis morbis ſuperuenit et ſalutare eſt, ſi morbus cum ſuis ſymptomatibus imminuitur; contrà vero, ſi morbus non ſiſtitur, peſſimum eſt ſignum et praeſentiſſimam mortem denunciat.

p. 522. De ſanguine reliquisque humoribus, vt ſignis igitur in capite octauo. Sanguis ratione *indolis* eſt vel ſanus, vel vitioſus; ratione *conſiſtentiae* vel naturalis i. e. fluxilis atque ſubtenuis vel praeternaturalis i. e. pertenuis et reſolutus, craſſus, lentus, coagulo adſimilis; ratione *miſturae* refertus lympha copioſa, ſero mucoſo et pituitoſo, itemque bile; ratione coloris eſt praeruber et quaſi minium referens. ex rubro palleſcens, albidus et haud raro veluti lacteus, flauus et ſubflauus ſubuiridis vel caeruleus, ſubniger vel ater; ratione *ſaporis* eſt ſanguis ſubdulcis, ſubſalſus, amarus cet. ratione *odoris* aut inodorus eſt, aut vere foetens, internae humorum corruptionis index. De cruſta inflammatoria et de grauidarum ſanguine pleuriticorum ſimili multa Noſtro nondum ſatis definita occurrunt.

p. 529.

p. 536. Praeter haec ſucci poſſunt multitudine vel qualitate corpus morboſe afficere et functiones eius mirifice turbare. Plethoram itaque veram ſanguineam

neam et obeſam ſpuriam ſ. imbecillorum, vaſorum et cellularum vacuitatem ſ. oligochymiam, cacochymias varias hic tractat Noſter. Cacochymiarum ſpecificarum notae non ſatis patent.

De thorace eiusque percuſſione, vt ſigno mentionem facit Cl. AVENBRVGGER *). Decubitum aegri negligere, nefas et turpe medico eſt. Situs erectus, tumultuoſusque e. g. inter mala ſigna eſt numerandus. p. 609.

Refert et Noſter iure meritoque mores inter ſigna. Bonum enim eſt ſignum, ſi aeger ſibi conſcius eſt, nec a moribus, quos, dum proſpera valetudine fruebatur, ſecutus eſt, nimium deflexiſſe videtur. Contrarium vero ſemper malum eſt. Sunt prae ceteris duae potiſſimum anxietatis formae, quarum altera ab anguſtiis pulmonum proficiſcitur, altera a praecordiis et ventre infimo. p. 627.

De mortis ſignis dum agit Noſter, diſtinguit eam in naturalem ſ. ſenilem et in praeternaturalem, quae eſt morboſa ſeu violenta. Violenta mors eſt vel abſoluta ſeu perfecta, in qua nullum reſuſcitandi remedium habet locum, ſeu imperfecta, in qua vis vitae quaſi ſoporata intus deliteſcit et aliorum opera excitari plerumque ſolet v. c. in merſis, laqueo iugulatis, vaporibus ſuffocatis cet. **). Huc etiam aeſtimatio vulneris letalis pertinet. Violentae mortes plerumque imperfectae ſunt, perraro abſolutae. p. 633.

Frigore pereuntium mors fere ſomnus aliquis altus eſt et ſaepiſſime medicorum miniſterio abigitur, etſi diu mortui videntur. Item mors, quam a globi bellici tranſitu oriri dicunt, vera ſuffocatio p. 645.

*) v. comm. noſtr. Vol. XI. p. 57.

**) v. comm. noſtr. Vol. hoc p. 593.

eſt. Etenim aëre externo ſic impulſo fortiter et rarefacto, at interno inerti vel reſiduo paene nullo collabefiant pulmones et motio omnis pereat neceſſe eſt. Qua de re nec iſta mors ſemper certa eſt.

p. 649. Inter venena lenta memorat Noſter aquam *della Toffana* ſeu Toffaninam, perinfamem et arſenicum certo in ſe continentem, aquam *del Petefino*, aquam mirabilem, (*l'eau mirable*) puluerem ſucceſſionis, (*poudre de ſucceſſion*) puluerem febrifugum empiricorum Germanorum, tincturam febrifugam cet.

p. 857. Additae ſunt duae icones, quarum tabula prima pulſus Sinenſium ex CLEYERO repraeſentat, altera Cl. FOVQVETI pulſus organicos cum explicatione fiſtit. Atque ita finitur, adiecto indice, hic vtilis liber ſemioticus, quem legiſſe neminem poenitebit. Placet Lectori non ſolum ob ſcribendi genus facile et ordinem perappoſitum, ſed etiam ob rerum collectarum vtilitatem atque multitudinem. Accurate enim Cl. Auctor tam ex veteribus, quam recentioribus Auctoribus ſemioticis ſigna morborum collegit, inutilia ab vtilibus ſeparauit, abſurda prorſus reiecit et numerum ſignorum potius imminuit, quam auxit. Praeterea et hoc nobis maximopere placuit, quod fontes diligenter ſunt nominati atque laudati, quos hic coniunctos inuenire atque legere poſſe res eſt et erit gratiſſima.

VI.

VI.

ANTONII DE HAEN tomus ſecundus rationis medendi continuatae in noſocomio practico, quod in gratiam et emolumentum medicinae ſtudioſorum condidit MARIA THERESIA Auguſtiſſima Romanorum Imperatrix cet. Viennae Auſtriae ſumtibus Hermanni Ioſephi Krüchton 1774. 8. maj. Pars I. pag. 130. Pars II. pag. 90. c. fig. aeneis.

Prima quidem in parte huius tomi ſecundi *), Noſter de variolis agit, cum naturalibus, tum artificialibus, vtrasque inter ſe comparat et largitur inoculatione innumera pericula praecaveri; dein de inoculatoriae methodi felicitate in variolis naturalibus obtinenda, atque primo de contagio in genere. Pars I.

In tertio capite ſtatum ſecundum variolarum, quem inflammatorium appellant, Noſter contemplatur, atque hic de inflammatione dirigenda, libero aëre admittendo, balneis, epiſpaſticis, clyſmatibus cet. diſputat atque ea definit.

In capite quarto ad ſtatum ſuppurationis in variolis Noſter progreditur. Hic incipit octavo die morbi forte et ad diem decimum ſeu vndecimum perficitur in diſcretis, paulo tardius in cohaerentibus, ad decimum quartum diem in confluentibus imo nonnunquam ſic in diſcretis malignis. Hoc in ſtadio in cohaerentibus ſaliuatio accedit in diſcretis perraro, quam aër liber valde temperat. Item apparent facile ſaliuatione vel promota, vel ſuppreſ- p. 96.

*) v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 541. vbi primi tomi ſummam communicauimus.

ſuppreſſa, morbi inflammatorii, ſuppuratorii, ſpaſtici in encephalo, thorace, abdomine, veri, niſi inhibeantur, mortis prodromi. Auxilia ſunt venaeſectio, veſicantia, balnea, paregorica aërque liber.

p. 99. Caput quintum agit de ſtadio exſiccationis. Atque hic ad arcenda mala, vt furunculi ſunt, hypopya, tuſſis, febris lenta, artuum mutilationes, venaeſectionem Cl. Auctor laudat.

p. 107. Alia autem methodus, quam euacuans et debilitans, in variolis cum magna virium iactura et debili pulſu, requiritur et haec videtur verſari in excitatione virium, de qua nunc Noſter in ſexto capite diſſerit. Ac potiſſimum contra metum debilitatis augendae per venaeſectionem dicit, quoniam pauci reperiuntur, qui ex vero virium defectu veraque humorum reſolutione vere debiles ſunt, ſed ſolummodo a ſuppreſſo ſanguinis circulo debiles apparent, minime vero ſunt.

Quem in finem exempla enarrat Noſter, vbi, venaeſectione inſtituta et effluxu ſanguinis per tam calidam aquam affuſam, vt epidermis abſcederet, coacto, aeger admodum debilis iterum reſtauratus eſt. Conſultius itaque eſſe Noſter arbitratur, in peſtis, variolarum acutorumque debilitate, quae non a vero virium defectu et ab humorum reſolutione pendet, ſed a lentore humorum, ſanguinem detrahere, quam ex metu debilitatis eum relinquere in corpore et ſinere mori.

Pars. II. In parte altera huius tomi ſecundi nonnulla difficiliora pathologiae refert, explicat multisque tabulis illuſtrat eorumque ſingulorum in fine dat epicriſin Ill. DE HAEN, quae partim in hoc ſuo opere continuato iam alibi ſunt narrata, partim noua ſunt. His hiſtoria morbi a Noſtro eſt addita, illo-

illorum autem rationem non repetit, ſed Lectores ad huius operis tomos et paginas remittit.

In capite primo de calculo humano renum ac veſicae vrinariae et de varia mutatione atque depravatione viſcerum vrinam parantium agitur. p. 7.

Caſus primus offert ſyſtema vrinoſum adoleſcentis vndecim annorum, cuius hiſtoria alibi narrata eſt*), hic ſolummodo delineatum. Renes monſtroſi erant, cum ſua corticoſa ſubſtantia et peluibus enormibus, voluuli amplitudinesque vreterum erant variae. Calculus vncias duas et drachmam vnam pondere aequabat**).

Piſtor 26. annorum, dum quartum ageret annum, calculum mingendo excreuit hordei grani magnitudine***). Ab eo tempore vrina eius continebat foetidum ponderoſumque gluten, increſcentibus indies doloribus. Multis fruſtra adhibitis remediis mortuus eſt. In rene dextro calculus magnus tredecim proceſſibus et minimus, nec non in veſica calculus eſt repertus. p. 10.

Caſus tertius iam deſcriptus eſt in hoc opere****). Inueniebantur calculi quatuor in rene. Caſus quartus pariter calculos in renibus monſtroſis offert. p. 13.

Iuuenis variolas et morbillos nunquam paſſus, tumorem animaduertit in laeuo dorſi latere infra ſpurias coſtas eumque perpetuum. Praeterea vexabatur p. 18.

*) EIVSD. rat. med. Tom. I. a pag. 132. ad. 139. ſ. in Editione altera a pag. 98 ad 103. v. comm. noſtr. Vol. IX. p. 85.

**) Similem propemodum in puero nouem annorum Aethiaſin v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 426.

***) ibid. p. 696.

****) v. EIVSD. rat. med. part. IX. a pag. 28 ad 38. et comm. noſtr. Vol. XIV. p. 669.

xabatur vlcuſculis oris interni gutturisque. Paulo poſt obtuſum lumbi ſiniſtri dolorem ſenſit, qui violentior redditus cedebat methodo medendi antiphlogiſticae. Inter hos dolores febre quotidiana et dein continua ſtipatos, tenax, foetida, pellucens fere et fundo matulae affixa materies apparuit, vrina diu et quiete manante. Breui poſt febre in hecticam mutata cum enormibus nocturnis ſudoribus pus cum vrina emiſit, qua febre immutata, dolores fere ſopiebantur. Iter tum ſine incommodo non ſolum faciebat, ſed ſe omnis doloris eſſe expertem teſtabatur. Ab aliquo tempore cum defuiſſet purulenta vrina, pectoris inflammatio cum anxietate obſeruabatur, quae cedebat tum, cum vrina purulenta iterum flueret.

p. 20. Tandem et pus tuſſi profluit tenue, ichoroſum fuſcum, liuidum, intolerabiliter foetidum cum ſumma anxietate, febre hectica, marcore inſomnis cet. et obiit.

p. 22. Pulmones pure ſcatebant et deperditus erat ſiniſter, inprimis lobus inferior. Ren ſiniſter monſtroſus excauatusque plane. Vreter in formam inteſtinalem conuerſus. Per foramen diaphragmatis a pure exeſum fiebat continuatio renis et pulmonis in vnum ſaccum, ſine vllo ſepimento. Omnia omnino inſignem prae ſe ferebant magnitudinem et amplitudinem.

p. 23. Progreditur tunc Noſter in renibus praeternaturalibus deſcribendis, quos inuenit in cadauere. Iuuenis ſeptendecim annorum, a peripneumonia, quae ad ſuppurationem vergebat, ruri neglecta, incidit in tuſſim tumoresque ſenſit, alterum anterior verſus thoracis, alterum ad poſteriorem, eamque fere mediam femoris partem. Denuo apparebat tumor

tumor in humero, ex quo vnciae octo puris fluebant, et hecticus moriebatur.

Ab externis viceribus via patula erat ad pulmonem dextrum. Inteſtini ieiuni ſuperior portio digitalem in longitudinem ab inferiore introſuſcepta, cuius introſuſceptionis nulla, dum viuebat iuvenis, erat ſuſpicio. Ren numero vnus, functione autem duplex. Nulla ſpectabatur cohaeſio ſeu coalitus, ſed vnica in medio ſubſtantia, vt non niſi vnicum homogeneum viſcus eſſet, vti ex figura addita apparet. p. 24.

De variis morbis, quos difformia inteſtina generant et de variis vice verſa morbis, qui inteſtina reddunt difformia. Hiſtoriam feminae, quae inteſtino in inguine aperto diu vexabatur, tradidit in hoc opere *), et ſanitatem illa recuperauit. Vixit poſtea ſana per nouem propemodum annos herniamque valde negligebat. Quae ea propter ſaepe apparebat et tuſſim excitabat, eaque, repoſita hernia, iterum ceſſabat. Et haec tuſſis obſeruabatur quotieſcumque in regione hernioſa dolor, ſiue hernia ſentiebatur. Subito eſt mortua. p. 26.

In cadauere ileum et reliqua inteſtina sacum referebant, et inſigniter cum ventriculo expanſa erant, vti Noſter arbitratur a putredine. Hernia femoralis non inſerta inueniebatur. Nihilominus autem morbi huius ſymptomata ac ſubita mors herniae incarceratae ſunt tribuenda. p. 28.

Sectio puellae ex cephalaea mortuae et antea deſcriptae **) hic narratur. Erat voluulus inteſtini ilei, vbi portio ſuperior excipiebatur ab inferiore vna cum ſuo meſenterio. Haec inſerta portio p. 30.

*) v. EIVSDEM rat. med. Tom. VII. a pag. 159 ad 203. v. comm. noſtr. Vol. XIII. p. 438.

**) v. EIVSD. rat. medend. Tom. I. a p. 130 ad 132.

tio nunc duplo longior eſt in liquore ſeruata, ac in cadauere, nihilominus tamen ita corrugata, vt in duplo aut triplo maiorem longitudinem poſſet extendi.

p. 32. Vir ſexagenarius ab annis 30. et quod excurrit continuo fere vtebatur purgante, cum citra id enormes pateretur anxietates, vomitus et alui obſtipationem. Tandem morbo ileo obiit. Aperto abdomine tympanitis omnium inteſtinorum praeter coli portionem a liene deſcendentis et ad os ilei ſe flectentis, cernebatur. Valuulae coli erat ſingularis proſpectus. Caeci ſaccus et ilei in eundem ingreſſus in icone repraeſentatur, item deſtructa Bauhiniana valuula, vt modicum tantummodo foramen apertum relinqueretur.

p. 33. Tornio ileo pluries laborauit eoque mortuus eſt. Inteſtinum colon in ileo oſſe ſiniſtro, vna cum ſuo meſocolo et appendiculis adipoſis hic delineatum eſt, nec non coarctatio inteſtini, aegre ſtramen admittens.

p. 34. Sexagenarius ictero viridi cum lapidea hepatis duritie laborans curabatur. Paulo poſt autem fiſtula ani cuius et ratio ab chirurgo habebatur, videbatur vexari et Noſter tria corpora ſemipendula in recto ampliſſimo reperiebatur, quorum plura ſimilia in cadauere. Praeterea aeger facilem et difficilem foecum tranſitum per ileum ſentire poterat. Canalis inteſtinalis in cadauere, itinere, amplitudine et anguſtia errabat. Sphincteris ani ſuperſtes ab operatione creditae fiſtulae ani ad pollicis amplitudinem dilatatio hic eſt delineata, in qua appendiculae maiores, minoresque pendulae, aut mucoſae, et preſſione oleum mucilaginoſum, quale perpetuo fere ex ano defluxerat, fundentes, aut minus molles, aut duriores, colore albae omnes.

Colum

Colum inteſtinum totum longitudine flexibus- p. 37.
que praeternaturalibus difforme Cl. Auctor in ſu-
ſpenſi hominis cadauere reperit et hic delineari cu-
rauit. Pariter colum in alio ſuſpenſo homine mi-
re et praeternaturaliter flexum hic in icone ſi-
ſtitur.

Femina ab infantili aetate vomitum continuo p. 38.
paſſa obiit. Aperto abdomine epigaſtrium totum
iecinore immenſo erat impletum, omne hypoga-
ſtrium monſtroſo colo. Inteſtinorum tenuium ſi-
tus poſt colon omnisque infra vmbilicum. Quae
et cauſa fuit duodeni et ventriculi ad vmbilicum
ſitus. Ventriculus erat, vti inteſtinum forma-
tus.

Addit hic Noſter ventriculum, cum ſaccis qua- p. 40.
ſi amplum nimis, qui continuo vomebat tam ex
vi formae fabricaeque ſuae, quam etiam vitio he-
patis.

In capite tertio hiſtoriam ouarii dat Noſter p. 42.
quae ad pathologiam hydropis multum lucis ad-
fert. Femina parce menſtruans, acuto morbo
grauiter decumbens et a triennio menſibus carens,
de dolore in inguine dextro conqueri cepit, cui
ſenſim ſe iunxit tumor fluctuans, qui intra annum
ventrem vniuerſum impleret. Remediis nec quid-
quam praeſtantibus, paracenteſis in dextro latere in-
ſtituebatur et emanabat liquidum turbidum, fu-
ſcum, glutinoſum, aqua $\frac{1}{22}$ ſpecifice grauius, ad
ignem parum coagulandum, pondere librarum
XXIV. Dolore paulo poſt magis increſcente, maxime
in tuſſi in dies moleſtiore, venter breui iterum valde
intumuit cum manifeſta fluctuatione. Iterata pa-
racenteſi in ſiniſtro latere euocabantur libr.e XIV
liquidi eiusdem, et, angina inflammatoria accedente vomituque, obiit.

p. 44. Vterus erat valde paruus. Ouarii fundus plenus erat tumoribus informibus, mole, figura, duritie differentibus, numeroſiſſimis, ob materiam aut euacuatam aut effluentem, mollem ac veluti purulentam non conſeruandis. Ceterum ouarium capiebat eundem humorem, qui paracenteſi eſt euocatus. Vaſa erant parua.

p. 45. Figura altera huius tabulae offert appendiculam auriculae ſiniſtrae cordis, quae in calculoſo inventa eſt, cuius hiſtoriam *) iam tradidit Cl. Auctor.

p. 46. Reperit Noſter in viginti iecinoribus humanis bis ductus cyſtico hepaticos, ſemel tres, iterum vnum. Communicat hic duas figuras, vna refert humanum, altera bouinum hepar. Sunt, qui negent, ideoque hic hos Noſter addidit, praeterea faciunt quoque ad icterum intelligendum explicandumue.

p. 51. In capite quarto recenſionem omnium hiſtoriarum anatomicarum atque earundem ad morbos, quos genuerint, applicationem morborumque epicriſin Cl. Auctor tradit.

VII.

Obſeruata quaedam medica cum figuris aeneis a M. I. MARX. Med. D. Berolin. apud Chriſt. Fridr. Himburg 1772. 8. pagg. 63.

p. 13. 1) *Lumbricus latus feliciter expulſus.* Remedium erat ſtannum Anglicum limatum **), quod praefert communi, plumbo aliisque noxiis particulis potiſſimum ſcatenti. Mauult multo potius in modum, quo agat ſtannum, vt anthelminthicum certum

*) v. Noſtri rat. med. Tom. IX. a pag. 28 - 38.

**) v. comm. noſtr. Vol. I. p. 561. Vol. III. p. 456.

certum et optimum non inquirere, quam hypotheſin excogitare. Differt hic lumbricus, vt icon ſubiuncta docet, in eo, quod duobus cacuminibus terminetur, nec inuenit Noſter alibi eiusmodi vermium terminationem.

2) *Tuſſis inueterata radice rubiae tinctorum curata.* Haec radix Noſtro nota eſt tanquam reſolvens, abſtergens, diureticum, ſimul confortans, expectorans, nec alui obſtructionem efficiens. p. 23.

3) *Morbus epilepticus foliis aurantiorum curatur.* Morbus ortus erat ex timore et talis epilepſiae ſpecies ab animi pathemate oriens ſine praeuio ſigno omnium curatu difficillima habetur. Singulare eſt in Noſtri caſu, feminam tam ſubito, conſtim poſt foliorum vſum, a paroxyſmo eſſe liberatam. Specificam vim antepilepticam Noſter foliis his adſcribit. p. 33.

4) *De matrona cardialgia et vomitu cruento curata.* Aegra erat triginta ſex annorum, valde ſenſili neruorum ſyſtemate praedita, et licet ſatis diu aegrotabat et tantum ſanguinis per recidivos vomitus amiſit, vt ſanguis e digito acu laeſo prodiens non rufeſcenti ſanguini, verum ſucco ceraſorum vix ſimilis eſſet, tamen rheo, lacte et cortice inprimis Peruuiano prorſus ſanitati eſt reſtituta. p. 48.

5) *Haemorrhagia vteri enemate oleoſo carata.* Eius cauſſa erant aſcarides, quae vtero vicinae hunc vellicabant atque irritabant; occaſione ſenſilis huius irritationis ſeu ſpinae circa vterum infixae ſanguis ad vterum motus vberior effluebat. Quapropter aſcaridibus enemate, aliquoties repetito, incredibili copia euacuatis, haemorrhagia quoque ceſſabat. p. 55.

6) *Tumor in genu.* Quatuor ſeptimanarum ſpatio tumor hic, licet per duos iam durauerat annos, fomentis reſoluentibus, addito lixiuio ſapona- p. 57.

ceo et linimento ex vnguento albo camphorato et petroleo feliciter eſt a Noſtro diſcuſſus. Interne vſus eſt purgantibus, decoctis tam diureticis, quam diaphoreticis. Ad reditum huius mali arcendum, herbas reſoluentes in aqua ferraria coqui et partem affectam colatura fomentari iuſſit. Nec plane euanuit tumor ſolum, ſed liber motus etiam neque aëris viciſſitudine, vti alias potiſſimum ſolent aegri quid ſaltem ſentire, vlla modo amplius turbatur.

p. 61. 7) *Cataracta.* Erat incompleta nondum concreta. Color pupillae ſiniſtri omnino, dextri oculi minus glaucus oculum inſpicienti apparebat. Viſus reſtitutus eſt intra ſex ſeptimanas collyrio ex aqua chelidonii, ſpiritu ſalis ammoniaci, vitro antimonii et camphora, fumo euphraſiae, roriſmarini fiſtulae tabacariae ope cum oculo communicato cet. externe, interne mercurio dulci et ſulphure antimonii aurato tertiae praecipitationis, helleboro nigro cet.

VIII.

De viribus arnicae ſpec. inaug. Auctore PETRO ANDREA SCHÜTT Hamburg. Gotting. d. 22 Octobr. 1774. pagg. 37.

Quae paſſim de hac planta in variis Auctoribus tam veteribus, quam recentioribus inueniuntur, iudicioſe atque diligenter hic collegit Noſter. Recte deriuat alium atque alium huius remedii effectum a diuerſitate ſubiectorum. Vomitum e gr. Noſter expertus eſt in paralyticis; euacuationem praecipuum putat eſſe effectum arnicae. Ceterum et affirmat eos, quos recenſuit Cl. COLLIN *), effectus et ſuadet arnicam in neruorum morbis, a collu-

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 143.

colluuie ſeroſa et infarctis vaſis corticis cerebri ortis, item in ſpaſmis et conuulſionibus, ſi deriuanda eſt acris materia neruos vellicans.

Vis roborans a Cl. COLLIN *) adſcripta arniciae videtur Noſtro effectus ſecundarius. Quae vſui eius interdum praemittenda ſunt **), potiſſimum cernuntur in imminuenda plethora et promouendis primarum viarum impuritatibus.

IX.

Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar för År 1772. Vol. XXXIII. Med. Kongl. Academiens Tilſtånd. Stockholm. Tryckte hos Directeuren Lars Salvius På egen Koſtnad. 1772. 8. pag. 376. Tab. aen. XI.

i. e.

Acta Academiae Reg. Scient. Suecicae anni 1772. Vol. XXXIII.

Trimeſtre primum.

1) NIC. MARELIVS finem imponit iis, quae dixit *de tractibus montoſis* limites inter Sueciam et Noruegiam conſtituentibus. p. 1.

2) *Dioeceſin* Kuſamo *in Marchia Lapponica* Kimi deſcribit M. ELIAS LAGVS. Adi. Paſtor. p. 17.

3) *Terram puteolanam* examinat BENED. QVIST. *Anderſſon.* Ope Mareſchalis et equitis IENNINGS ex Italia aduecta eſt, prout ad ciuitatem veterem (*Ciuita Vecchia*) reperitur. Prima varietas, fuſco p. 28.

*) v. ib. **) v. ib.

colore rubens, ſtructurae tubuloſae, vt pumicem aut ſpongiam imitetur, non efferueſcit cum acidis,
p. 29. a magnete rudis attrahitur, quae attractio calcinatione non augetur, per ſe facile liqueſcit in ſcoriam nigram, cum borace in vitrum ſubuiride, granula continet, quae cum acidis non efferueſcunt, nec per ſe, nec cum borace funduntur, vehementi tamen igne in extrema ſuperficie vitro obducuntur. Satis ſimiles ſunt reliquae varietates.

p. 40. Generatim examina haec Noſtrum docuerunt; baſin terrae puteolanae eſſe argillam ferro impraegnatam, petrefactam, quae ipſi admiſcentur fortuita ſunt et non magni momenti. Id vero docet odor, argillae vſtae ſimilis, alumen, addito vitrioli ſpiritu generatum, magnetis in particulas huius terrae
p. 41. actio; aliquid etiam terrae calcareae adeſt, quod docet ſal ſeleniticum, addito oleo vitrioli generatum. Pertinet vero Noſtri iudicio haec terra ad
p. 42. genus Baſaltis. Fuſiones autem et calcinationes, ab igne ſubterraneo ſubiiſſe, indicio ipſi eſt, ſtructura tubuloſa et pumici ſimilis, item attractio magnetis. A diuerſis gradibus ignis, quos pertulit, item ab aëris et aquae effectibus, pendere exiſtimat varietates.

p. 43. 4) *Lac feminarum* examinat PET. ION. PERGIVL. Fatetur occaſionem ſibi dediſſe, quae de lacte experſus eſt THOMAS YOVNG *). Examinauit lac, tum tepidum, vt ex mammis effluit, tum ad
p. 46. ignem ebulliens, cum variis acidis, alcalinis, regentibus: ſibi reliquit, vt ſe ipſum decomponeret.
p. 51. Feminam per octiduum, ſolis vegetabilibus nutriuit, eiuſque lac cum lacte vaccino comparauit. Horum experimentorum, quae enarrare prolixum eſſet,

*) vid. diſſ. de lacte. v. comm. noſtr. decad. ſecund. Suppl. IV. p. 735.

eſſet, ſuffecerit hic transferre velut fructus, quos ipſe collegit; inde vero ſimul, qualia experimenta fuerint, intelligetur. Feminae, quae conſueta diaeta, ex vegetabilibus et animalibus mixta, vſa eſt, lac, non coagulatur, ab acidis adfuſis. Aliter ſe habuit hac eius, quam ſolis plantis nutriuerat: id, et aceto coagulabatur, et ſolo calore hypocauſti, ſimul valde aceſcebat. Hanc autem proprietatem lacti conciliauit biduum victus vegetabilis, cum ante carne eſſet vſa, ſed parcius. Poſtquam vero permiſiſſet feminae rurſus carne veſci, per duos adhuc dies, lac eius proprietatem illam retinuit, vt coagularetur. Igitur nutrici, ne lac eius ad aciditatem procliue p. 54.
fiat, non parce praebendus eſt victus animalis; etſi, quae illo nimius vtatur, lacti alcalinam naturam poſſit conciliare. Feminae, victu ſolo vegetabili vſae, lac, circiter octauo die poſtquam emulſum erat, ſibi relictum, aceſcebat: vaccinum, iuxta illud poſitum, circiter tertio, id ergo multo proclivius eſt, ad aceſcendum. Conſueto vero victu, ex animali et vegetabili mixto, vſae feminae lac, quod ſpiritu vitrioli et acidis vegetabilibus non coagu- p. 55.
latur, nequidem ſi haec acida cum hoc lacte coquuntur.

Ea ex re colligit Noſter, infantibus lactantibus praeberi poſſe acida, ſi morbus, quo laborant, id poſtulet, aitque id feliciter ſe eſſe expertum. Porro, ſi morbus infantis remedia acida poſtulat, nutrix p. 56.
poterit reſtringi ad ſolum victum vegetabilem. Contra, ſi infantis excrementa caſeoſa, aliaque indicia, monſtrent, nimiam ineſſe ventriculo aciditatem, nutrici dandus erit victus omnino animalis. Lac ad ignem ebulliens, adfuſo oleo tartari per deliquium flaueſcebat, poſt aliquot dies color mixturae abibat in flauo viridem. Tales igitur colores excrementorum infantis credit indicare, quod alcali do-

minetur, acidis melius corrigendum, quam abſorbentibus, aut aliis alcalicis. Sed haec, vlteriori examini commendat. Coagulum ex ventriculo vitulino, ſalſum, ſale ablutum, addito etiam ſpiritu vitrioli, nihil effecit ad coagulandum lac femineum, ſiue tepidum, ſiue ad ignem ebulliens. Id iure miretur, tum qui effectuum eius coaguli in lac vaccinum recordatur, tum qui meminit, reuera tamen coagulari lac nutricis in ventriculo lactantis, et tale vomitu ejici. Forte ventriculo humano maior vis eſt ad lac coagulandum, quam ventriculo brutorum; ſed cum his vacaret Noſter, ventriculum
p. 57. humanum habere non potuit. Quod feminae, conſueto victu vſae, lac, etiam plures ſeptimanas ad fornacem calentem poſitum, non aceſcat, ſed dulce maneat, ea re lac femineum ad infantes nutriendos omni alio praeſtat. Contra, quae vaccino contingant in ventriculo tenelli, facile colligi poteſt,
p. 58 morbique poſſunt praedici, quae tenero infanti lacte vaccino nutrito minentur. Aliter res ſe habet, cum infans poteſt carnibus veſci, et ipſe eius ventriculus robuſtior euaſit.

Denique adultis aegris, ſaepius prodeſſe poſſe lac femineum monet Noſter, celebres medicos ſe-
p. 59. cutus. In phthiſi praecipue plurimum poſſe, ad vlcus pulmonis, abſtergendum, ſanandum, ſanguinem edulcorandum, viſcido addito corrigendum. Vbi et hoc magni momenti eſt, quod non aceſcat
p. 60. hoc lac, vt vaccinum. Butyrum etiam ex lacte femineo praeparauit ſuccuſſu, facile, et copioſe in relatione ad vaccinum. Album erat hoc butyrum, facile ranceſcens. Poſtquam ad ignem deferbuit, praecipitauit ſe pars viſcoſa, butyrum depuratum,
p. 61. cum rurſus coiret, nihil odoris rancidi oſtendit, etiam duos menſes in hypocauſto ad fornacem poſitum. Hoc butyrum ad ignem depuratum, album

erat,

erit, facile digito ſuperinducto liqueſcens, vt axungia.

5) *Inſtrumentum, obiectis per tubum aut microſcopium viſis, delineandis inſeruiens* edit IO. CAR. WILKE. Pertinet ad parallelogramma illa, quae pantographi nomine veniunt (Storchſchnabel). Filorum, in foco tubi aut microſcopii, vbi formatur imago, poſitorum interſectio, per limites obiecti ducitur, dum interea ſtilus in tabula figuram deſcribit, illi ſimilem, circa quam interſectio filorum ducitur. p. 61.

6) *Iis, quae de radiorum lucis heterogeneorum, dum refringuntur, diſperſione*, ſuperiore anno ſcripſerat, quaedam addit FRIDR. MALLET *). Inprimis docet, quas leges hac in re ſuaſerant NEWTONVS, et EVLERVS, iis non conuenire, cum experimentis, DOLLONDI, ZEIHERI, BEGVELINI. p. 66.

7) *Furnos chymicos portatiles* deſcribit GVSTAV. DE ENGESTROEM, monetae regiae docimaſta. Alter docimaſiae deſtinatur, alter defillationibus. Quilibet conſtat ex duobus crucibulis ex molybdaena, orificiis ſuis coniunctis, ita, vt totum exhibeat velut duos conos truncatos, baſibus maioribus ſibi iunctos. Continentur duobus annulis ferreis cochlearum ope coniunctis, fulcri loco ſunt tres pedes, inferiori annulorum ſubiecti. Qui docimaſiis deſtinatur, in medio foramen habet, per quod immittitur tegula vel fornix docimaſicus, incumbens trabi ferreae, tranſuerſim furno infertae. Aliud foramen inferius aërem admittit, in latere; fundus integer eſt. Crates ferrea infra p. 71.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 274. et 277.

tegulam, carbones decidentes retinet, ne frigidus aër ad tegulae fundum illabatur. Trabs ferrea, crates, tegula, omnia libere inserta sunt, vt, prouti res postulat, eximi queant. Et hunc, et alterum, vsibus suis aptissimos praedicat. Occasionem sibi dedisse profitetur, quae de furnis ex eiusmodi crucibulis componendis suasit Cl. LEWIS. Sed Noster effecit, vt sui furni minoris constent, et quae in iis ex ferro constant, ignis vi non adeo destruantur.

p. 79. 8) *De piscatura in lacu* Hielmar agit, OLAVS STRANDBERG verbi diuini minister in Lännäs in Nericia Orientali. Inprimis, quae ad conservandos aut augendos pisces faciant. *Lucius Esox* (*Gädda*) huius lacus celebratur. Noster credit adultos Lucios destruendos, ob voracitatem; minoribus, qui non nisi minutis pisciculis, et parum alias hominibus profuturis, si vescantur, parcendum, donec adolescant. *Perca Lucioperca* (*Giös*) generi conseruando operam dat in loco quodam, vbi non possunt retia maiora commode adhiberi, eam ob caussam semper manet satis magna eius copia. *Cyprinus Brama*, (*Braxen*) dum genus propagat, copiose capitur, etiam antequam oua deposuerit; de quo dolet Auctor, et suadet, vt captus piscis duos dies seruetur in receptaculis, quibus inserti sint rami pinus, ouis onusti, deinde in aquam proiiciendi. Subiungit alia ciuibus suis vtilia.

p. 84. 9) EIVSDEM. *De augmento incolarum in parochia sua* tractatio. Quotannis multo plures natos habet, quam vita functos; v. c. 1763; natos 51; mortuos 15. Iam totus eius tractus, lacui *Hielmar* adiacet, et incolae plerumque piscibus vescun-

veſcuntur. Huic igitur nutrimento magnam partem tam bonae valetudinis incolarum tribuit.

10) *Spicam Alopecuri, quam infans deglutiuerat, poſt quinque ſeptimanas, ex vlcere ſub ſcapula dextra exeuntem*, obſeruauit PET. BIERCHEN, M. D. Adl. Coll. Med. Infans quinque annorum in horto ludibundus gramen deglutiuerat, ſtatim tuſſiens, et de dolore queſtus, qui vero, deglutito pane, ceſſauit. Domum redux, etiam abſque vlla difficultate panem deglutiuit. Nocte vero inſequente, vehementer febricitauit et vomuit. Crediderunt parentes venenatum gramen fuiſſe. Noſter vero, cum nihil tale ex deſcriptione, quae ipſi dabatur, colligere poſſet; tandem exiſtimauit morbum forte a vermibus oriri, nullas in eo eſſe graminis deglutiti partes, et hanc ſententiam ſequutus, quae ſibi idonea videbantur remedia adhibuit. p. 85.

Quatuordecim diebus elapſis leniti dolores ventriculi, tuſſis autem vehementer increbuit, querebatur aeger de dolore maximo, in latere dextro, thorace et ventriculo. Praebitae emulſiones oleoſae, ſerum lactis HOFFMANNI, ſyrupi amygdalarum, altheae, oxymel, applicati clyſteres. Tandem, vomicam pulmonum apertam, indicarunt, halitus foetens, pus craſſum, flauum, vomitu eiectum per octo dierum ſpatium. Haec cum lenirentur, et omnino deſinerent, querebatur aeger de dolore dorſi, et ortus eſt ſub ſcapula dextra, ſtatim ad ſpinam dorſi, tumor albus, tactu dolens; ei impoſita cataplaſmata ſunt ſaturnina. Non poterat aeger in laterum aliquo cubare, ſed ſolum in dorſo. Noctes inquietae; redibat tamen appetitus edendi; lingua etiam rurſus pura. Creuit tumor, qui cum molleſceret, adhibita ſunt emplaſtra ſuppurantia, biduo elapſo ſponte apertus eſt tumor, ceſſantibus doloribus p. 86. p. 87.

bus omnibus, vt aeger nocte illa profunde dormiret. Medicus mane sequente vlcus examinaturus, lectum plenum reperit pure fusco nigrescente foetente, detumuit tuber, cuius in apertura, acuti aliquid sensit medicus; extractum vidit esse extremum spicae, quo culmo adhaeserat, ita spicam totam extraxit. Obducta erat liquore fusco, putrido, omnino ad modum excrementorum humanorum foetente, quem foetorem per biduum retinuit.

Examinata apertura tumoris, aër quauis respiratione exiit, etiam flammam candelae oppositam mouit, exiit etiam aër, cum apertura deprimeretur. Dato sero lactis HOFFMANNI cum chaerophyllo, puer quotidie melius valuit, tribus septimanis elapsis, omnino sanus, ita adhuc vixit serto, postquam haec contigerant, anno. Similem casum, qui Decembri 1771 in Parochia *Göthlandi* in Nericia contigit, ex diariis publicis recenset. Puer annorum $4\frac{1}{2}$ aristam deglutiuerat, statim dolorem fletu ostendens et vomens, sed, quid ipsi contigerit, altera demum die dicens, cum sanguinem vomeret. Post sanguinem grumosum vomuit, et quae viderentur pulmonis particulae. Septimana quarta prodiit arista. Sub scapula dextra, praecedente extremo, quo culmo adfederat; exiit simul plurimum sanguinis et puris; nona vero die, post-
p. 89. quam hoc contigerat, puer mortuus est. Iam docet Noster, vtroque hoc casu, spicam, siue ex oesophago siue ex ventriculo, viam sibi aperiisse in pulmones, et porro eum ad locum, per quem exiit. Multus vero est in eo, vt ostendat, non transiisse laryngem, additis exemplis tristium effectuum, quos corpora peregrina laxyngem ingressa ediderunt.

p. 92. 11) *Aequationis alicuius differentialis* $d^3ydy + addyddy + bddydy^2 + cdy4 = 0$ *integrationem docet* DAN. MELANDER.

11)

12) *Vniones quomodo imitentur ſinenſes* docet IO. ABR. GRILL; *Abrahamſſon.* Paratas habent vniones ex matre perlarum, quinque aut ſex, filo iniecto iunctas, nodis autem fili ſeiunctas. Eas inſerunt *Mytilo* dum ſub initium aeſtatis, ad aquae ſuperficiem patens apricatur; *Mytilus*, cum illis ſe demergit et anno ſequente ex aqua tollitur. p. 93.

Tunc factas illas vniones, ſuperinduxit membrana, qua veris vnionibus omnino ſimiles reddun- p. 94.
tur. Exhibuit Noſter Academiae exemplar, quod in Siena obtinere potuit vnicum, ex fluuio, aliquot a vrbe *Canton* milliaria deſumti *Mytili cygnei*, qui etiam in Suecia reperitur. Vnionum vna adhuc adhaerebat teſtae, conſpicua etiam erant loca, vnde aliae vniones, quae ſimul oſtendebantur, eſſent ſublatae. Eas ait pro veris vnionibus venditari poſſe, niſi eo in loco, vbi conchae adhaeſerant, cutis illa deficeret, qua re eo melius diſtinguitur vnio factitia a membrana, qua obducitur. Suadet, vt fluviorum accolae, quibus haec experiundi occaſio eſt, tentamina inſtituant.

Trimeſtre ſecundum.

1) IO. CAR. WILKE, *de frigore glaciei liquefientis.* Compertum eſt experimentis RICHMANNI, quae etiam Noſter repetiit, ſi commiſceantur duae maſſae aqueae, diuerſis gradibus thermometri calentes, mixti calorem eum eſſe, qui computatur, multiplicando quamuis maſſam per ſuum calorem, productorum vero ſummam diuidendo per ſummam maſſarum. (Comm. Nou. Petrop. T. I. p. 168.) Idem etiam locum habet, cum altera maſſarum, quae calorem habet aquae in glaciem abiturae, qui plerumque o thermometrorum dicitur. Itaque cum nix ſit aqua conglaciata, p. 97.

ex-

exſpectari poterat, idem euenturum, ſi loco aquae, in qua thermometrum conſiſtit ad o, adhibeatur nix. Alia vero omnia, docuerunt Noſtrum, experimenta plurima, ſollicite inſtituta cum aqua diverſimode calente variis proportionibus niui commixta.

p. 105. Summa rei huc redit: Nix aliquid caloris aquae, antequam fundatur, velut deſtruit. Reſiduum inter niuem liquatam, et aquam hoc reſiduo calentem, ita diſtribuit, vt inter aquam hoc gradu calentem, et calentem gradu o. Calorem vero, quem nix dicto modo deſtruit, ſatis probabili conſenſu, experimenta Noſtri ſtatuunt, 72 thermometri Suecici, quod inde a puncto glaciali ad aquam ebullientem numerat 100. Itaque, ſi v. c. aquae gradibus 72 calenti, aequale pondus niuis admiſceatur, deſtruitur calor omnis, et mixti calor eſt o. Si caleat aqua gradibus 98; adiecto aequali pondere niuis, deſtruuntur gradus 72; reſidui 16 diſtribuuntur inter duas aquae maſſas, alteram, quae ab initio adfuerat, alteram, quae ex niue orta eſt, itaque ex his duabus coniunctum mixtum, calebit gradibus 13. Denique tribus partibus aquae calentibus gradus 40 adiiciatur vna niuis. Hic, habita ratione maſſarum, conſiderat Noſter, tres maſſas aquae ſingulas calore 40 praeditas, in quibus nix deſtruit 72 hoc eſt calorem integrum vnius maſſae, et adhuc gradus 32 in alia. Reſtant igitur gradus 40 + 8. Siue vt Noſter exprimit 120-72; diſtribuendi, inter tres maſſas aquae, quae adfuerant, et quartam, ortam ex niue; hoc igitur mixtum calebit 12. Hinc facile conditur formula pro computando calore mixturae oriundae ex aqua, dato gradu calentis, adiecta data quantitate niuis. Sit aquae pondus = m, calor = c, niuis pondus = n; eſt calor mixti = (m.c - 72 n): (m + n). Qui ca-

lor

lor euaneſcit cum m. c = 72. n; tum mixtum habet calorem puncti glacialis. Hinc varia notatu digna deducuntur, inter alia hoc: Non poteſt c ſuperare calorem aquae ebullientis, qui ſtatuitur = 100. Quo numero loco c poſito reperitur n = $\frac{100}{72}$ m = m. 1 $\frac{7}{18}$. Hoc eſt: aqua bulliente, ſoluitur niuis pondus paulo maius, quam eſt pondus aquae, circiter pondus aquae adiecta tertia parte eius ponderis; mixtura vero eſt aqua glaciei calorem habens. Igitur parum prodeſt aqua calida ad liquefaciendam niuem. (In tranſitu monere liceat gradum 72 Suecicum reſpondere 42 de l'Iſleano, hoc autem calent thermae Carolinae, vbi calidiſſimae ſunt: vid. tabulam HEINSII, editam a WINKLER (*Anfangsgr. der Phyſik* Lipſ. 1754.) §. 126. Igitur hae thermae, vix ſaltem ſufficerent aequali quantitati adiectae niui liquandae.) Iam phaenomena haec explicat, adſumta materia ſubtili, quam ignem vocare liceat, eademque ad alia experimenta paſſim nota, ſed explicatu difficilia transfert.

2) *Tentaminum, cum terra Puteolana, et Caementi inſtitutorum, partem vltimam* edit BENQVIST *Anderſſon.* Primo materias enarrat et deſcribit, quibus vſus eſt. Ex illis, in pulverem redactis, calce addita, cylindros aequales effecit, quorum poſtquam ſiccati eſſent firmitatem ita explorauit, vt, quanto pondere rumperentur, examinaret. Sed haec, et quae inde deducit, pauca generalia, huc transferri non poſſunt. p. 120.

3) *Machinas, quibus ferrum in laminas tenues extenditur, item in parallelepipeda tenuia ſecatur,* (Walz- und Schneidewerke) deſcribit et emendat SVEN RINMAN, Director officinae regiae ferri, Eques Ord. Reg. a Vaſa nominati. p. 132.

4)

p. 157. 4) *Squalus maximus* L. *quomodo ad Nordlandiam Noruegiae capiatur* narrat NIC. CHRISTIAN. FRIIS Episcop. et Adsess. Consist. Vocant animal: *Brygd* vel *Brugd*. Capitur eo fere modo, quo cete capiuntur, hepatis caussa, cui librarum 5 pinguedo excoquitur. Communis longitudo piscis est 12 vlnarum, dantur etiam duplo longiores.

p. 164. 5) *Coecitatem, quae post cataractam sanatam reddierat, sublatam* narrat IO. L. ODHELIVS M. D. Adsess. Coll. Reg. Med. Vir annorum 69; ambobus
p. 165. oculis cataracta laborabat. Vtrique anno 1766. adhibita operatio methodo DAVIELIS, superuenit erysipelas faciei, quo post VI septimanas cessante, oculo sinistro vidit, licet pupilla eo loco, vbi incisio facta erat, adnata esset corneae. Tribus annis elapsis, circumforanei consilio, vt melius adhuc videret, emplastrum imposuit; quo facto, visus omnino periit. Licet pupilla esset perspicua. Dexter oculus, postquam cessauerat erysipelas dictum, coecus mansit, pupilla coiuerat, eiusque centrum occupabat materies alba, quae per pupillam ex camera posteriore profluxerat, effeceratque, vt incisioni corneae, alba cicatrice accresceret. Saltim diem a nocte vt coecus distingueret, exiguus margo ad terminum superiorem pupillae permittebat. Huic coecitati, vt mederetur Noster, aeger petiit. Quod licet cum exigua spe ita suscepit.

p. 166. Anno 1771; Sept. 25. corneam methodo DAVIELIS incidit, tentauitque pupillam dilatare ope Cystotomi per exiguum illum marginem inserti, quod, cum non succederet, cultro Cl. LA FAYE incidit iridem inde a pupilla ad ligamentum ciliare versus nasum, paucis saltim guttulis sanguinis profluentibus, aegro autem per nouam hanc iridis aperturam,

turam, ſtatim videnti. Apertura haec erat triangularis, apice verſus ligamentum ciliare ſito. Die 3 Oct. oculus, abſque inflammatione, ſatis bene valebat, lumen diurnum aegrum offendebat. Id vero nullo incommodo tolerabat d. 11. Oct. Pupilla haec artificialis referebat figuram trianguli ſcaleni. Oculum ad videndum melius meliuſque valere d. 19. Octobr. aeger retulit.

6) *Additamentum* diſſertationi praecedenti ſubnexit OLAVS ACREL; vnice ad hiſtoriam litterariam harum operationum pertinens. p. 168.

7) Kien, *alcali minerale natiuum Sinenſe*, exhibet IO. ABR. GRILL *Abrahamſſon*. Accepit illud a Patre *Ioſepho Vitali Kuo*, natione Sinenſe, qui Neapoli litteris operam dedit, Latinam linguam et Gallicam callet, poſt reditum, Miſſionibus in Prou. Xanſi, in confinibus Tatariae Tibetinae vacat. Cum illo litterarum commercium Noſtro intercedit. p. 170.

Adducit vero, quae Sinenſis ipſi ſcripſit, in Regno Hami, Tatariae Tibetinae, plura eſſe loca, vbi terra ſapore prodit nitrum, aut ſal commune, aut boracem, aut Kien, quo nomine ſapo Sinenſibus venit. Itaque fodiendo eruitur id, cuius ſaporem terra oſtenderat, aut ex terra effoſſa coquitur, borace excepto, qui non excoquitur, ſed natiuus reperitur. p. 171.

8) *Kien*, a Cl. GRILL acceptum, chymicis inprimis artibus examinat GVSTAVVS AB ENGESTROEM; Colligit, eſſe verum alcali minerale, cui admixtum ſit pauxillum materiarum peregrinarum, acidi ſalis, phlogiſti, ferri, calcis, argillae; Proxime accedere ad materiam, quam nomine minerae p. 172. p. 179.

rae boracis ex Tranquebar, accepit POTT Obſ. Chym. Collect. 2. p. 59.

p. 179. 9) *Obſeruanda dum hordeum vere ſeritur*, docet L. Baro IO. BRAVNER, Conſiliar. Camerae. Perit ſaepius, quod ſatum eſt, ob tempeſtatem, iuſto diutius, ſiccam. Itaque ſuadet, vt ſemini aqua ſuperinfundatur, cuius ope, tam leuiora ſemina plantarum inutilium, ſupernatantia, ſeparantur, quam hordeum ipſum liquorem imbibit, et ita madens, germina ad modum malti emittit. Ita ſatum, experimento Noſter edoctus eſt, ſiccitatem aëris et agri ſatis magnam tolerare, et nihilominus, pluuia ingruente, laete prouenire.

p. 183. 10) De *parallaxi ſolis ex Venere in ſole* 1769; agit ANDR. PLANMAN, Prof. Phyſ. Oboenſ.

Trimeſtre tertium.

p. 193. 1) *Hiſtoriam coniunctionum mercurii cum acidis ſalium* concludit, TORBERN BERGMAN *). Agit hic de mercurio dulci, et ſublimato dulci. Praeter ea, quae ex ſcriptoribus adducit, monet,
p. 197. aurum quidem non albeſcere ab adfrictu mercurii dulcis; ſed communem eſſe errorem, et a nemine, quem ſciuerit, notatum, quod hinc diiudicari poſſit gradus dulcificationis. Nam, et mercurium ſublimatum corroſiuum, ſi purus ſit, et recte praeparatus, non mutare colorem auri. Errorem forte inde natum eſſe, quod mercurius ſublimatus cum argento viuo ſuperfluo tractatus, poſt primam operationem interdum adhaerentes habeat globulos mercurii-

*) Eruditae huius diſſertationis partes duae priores leguntur in annis 1770. 1771. v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 289.

mercuriales; ita adfrictus auro, veſtigia alba relinquit, ceterum de gradu dulcificationis hinc nihil iudicari poteſt. Sublimatum dulce, rurſus corroſivum reddere, pauci chymicorum ſuſceperunt. Noſter refert, quae tentarint B. SCHEFFER et PATRICIVS HILSTROEMER a Conſil. Commercior. Fruſtra cum acido ſalis triturauerunt mercurium dulcem et poſt ſublimauerunt, ſed vnam partem ſalis communis, duas vitrioli non calcinati, et vnam mercurii dulcis, commiſcendo, et ſublimando, perfecte corroſiuus obtentus eſt. Qua de re vt eo certius conſtaret, hic mercurius corroſiuus, conſueto more dulcificatus eſt, et rurſus corroſivus redditus. Hinc ſequitur, vt non neceſſarium ſit acidum nitri, ad mercurium corroſiuum. Iam de cauſſis, cur notis operationibus corroſiuus reddatur mercurius, profitetur, non omnino conſtare, plurimum tribuit illis, quas reddidit Cl. MACQVER in *Dictionaire de Chymie.* p. 201. p. 202.

2) *De viribus, quae faciant ad mundum viſibilem in ſtatu ſuo conſeruandum*, ſecundam partem edit DANIEL MELANDER Aſtr. Prof. Vpſal. Oſtendit inprimis, ſi adſumatur lex virium, diuerſa ab ea, quae in natura obtinet, reciprocae duplicatae diſtantiarum, planetas non poſſe circa ſolem reuolui in orbitis in ſe redeuntibus, ſed vel perpetuo ad illum accedere, vel in infinitum digredi. p. 206.

3) *Parochiam* Kuſamo *in parte Lapponiae* Kemi *appellata, deſcribere pergit* M. ELIAS LAGVS. Hic de incolis agitur. Clima valetudini bonae egregie conuenire videtur. Etiam infantum et iuuenum infra 15 annos multo pauciores pro numeri ratione moriuntur, quam alibi, partim eam ob cauſſam, quod ob habitationes familiarum mul- p. 222.

tum inter ſe diſſitas variolarum contagium non facile late ſerpat.

p. 229. Medicinae parum periti ſunt; remedii domeſtici loco aduerſus mala interna eſt ſpiritus frumenti, herbis amaris infuſus. Caſtoreum, intus adſumtum aut tabaco admixtum, tuſſim et pectoris dolores lenire dicitur; cauda caſtoris, aduerſus mala externa vtuntur; venam ſecant, interdum cultro vulgari; intertriginem, fuligine tegunt, vulnera ab acie ferri aut lignis acutis nata, percae fluuiatilis pinguedine illiniunt. Balneis vtuntur ad valetudinem et voluptatem. Lappones olim magicis artibus praeſtitiſſe traditur, ſed illae iam omnino deperditae ſunt.

p. 236. 4) *Perdicium laeuigatum*, deſcribit PET. ION. BERGIVS. Quarta huius generis ſpecies eſt, addenda tribus, quas habet Ill. A LINNE. Nomen ſpecificum habet; P. (*laeuigatum*) floribus ſubradiatis, caule ſuffruticoſo, foliis lanceolatis acutis integerrimis. Squamae calycinae poſt caſum ſeminum vndique reflectuntur. Habetur etiam icon duorum ramorum plantae naturali magnitudine. Eſt in collectione, quam in America inſtituit CAR. FRID. PIHL, Chirurg. Studioſ. reperta ad Portum bellum (*Portobello.*)

p. 239. 5) *Bulbos calcareos, cryſtallinos, ad Echinos petrificatos* reducit IO. ABR. GYLLENHAHL. Auſc. in Coll. reg. metall. Sunt, qui vocantur Aetites marmoreus LINN. *Syſt. N. ed. XII. T. III. p. 179.* Cryſtalli pyramidales concreti CRONSTEDT, *miner. p. 11.* Argumenta quibus haec foſſilia ad petrefacta echinorum reuocat, potiſſimum deſcriptione et figurarum explicatione nituntur, vt breuiter tradi nequeant.

6)

6) *Obſeruationes acu magnetica inclinatoria in itinere maritimo ab vrbe Götheborg ad Sienam et in reditu* inſtitutas recenſet CAROL. GVST. EKEBERG Capitaneus Admiralitatis regiae et SocietatisIndicae Orientalis. p. 262.

7) *Secale ſementis cauſſa fumigandum* commendat L. B. IO. BRAVNER. Exiguo calore, ſed fumo maiore, durantibus 24 horis ſiccatur, cum refriguit, feritur, atque in ſementem anni ſequentis ſeruatur. Vſus eſt, vt a tempeſtate pluuioſa, quae in ſationis tempus inciderit, non pereat; fructus etiam copioſiores ferre et tutius eſſe ab inſectis grana vaſtantibus, dicitur. p. 276.

8) *Obſeruationes circa axungiam animalium* edit ANDR. IOH. HAGSTROEM, Stud. Med. et Chirurg. Reiiciendas iudicat omnes axungias, quae facilē rancidae fiant, difficilius haberi aut ſeruari poſſint, et ipſae nauſeoſae ſint, vt humana. Itaque has ſolas retinendas cenſet; Axungias Canis, Porci, Anſeris, Viperarum; quam in Suecia refert ſumi ab anguibus ibi vulgaribus. Sperma Ceti ad ſeba refert. Axungiis vero recte credit adnumerari butyrum recens, inſalſum. Praecipuus ſcripti ſcopus eſt, commendare axungias, vſui interno, cui adhibentur olea expreſſa. p. 278.

Cui ſcopo duas formulas praeſcribit huius tenoris: 1) Rec. Axung. anſer. recent. vnc. II. triturentur cum Gummi Arab. vnc. dimid. vel q. ſ. in aquae fontanae libr. j; D. S. *Solutio cum Gummi.* 2) Rec. Axung. Anſerin. vnc. ij Vitell. ou. No. 2. Aqu. font. libr. I; M. bene tritur. D. S. *Solutio* cum Vitello oui. Vnicum oui vitelli partes pingues non ſatis cum aqua coniunctas tenet. Vitellum oui melius continebat particulas pingues quam gummi, citius p. 279. p. 281. p. 281.

vero aceſcebat. Sapor ſolutionis c. vit. ouor. multo amoenior; vt cum emulſione optimi ſaporis comparari poſſit; alterius ſapor nauſeoſus. Camphora in his ſolutionibus ſoluitur, vt in oleis expreſſis, melius tamen, vt videtur, in vitello oui. Eadem ſolutio cum vitello oui, melius cum oleis expreſſis miſcetur.

p. 282. Hae ſolutiones minus adficiuntur ab adfuſo acido vitrioli concentrato, quam olea expreſſa, ob acidum aquoſo dilutum. Haec ſolutio in omnibus illis caſibus vtilis eſt, vbi oleum expreſſum indicatur, itaque in doloribus colicis, teneſmis; cet. Ipſe, in ſuo corpore tuſſim rheumaticam, emulſione ex axungia anſeris, vitello oui et pauculo melli ſanauit.

p. 283. 9) *Ramos Pinus abietis* L. *pecori nutriendo aptare* docet L. Baro E. G. OXENSTIERNA. Rami in partes tenuiſſimas, quam fieri poteſt, ſcinduntur, admiſcentur culmi cerealium ſecti, et foenum. Ita inde ab autumni initio 1771 ad verem 1772 nutrivit Noſter, boues, vaccas, vitulos, auenae paurillo adiecto etiam equos. Animalia omnia bene valuerunt, neque lac ſaporem reſinoſum prodidit.

p. 285. 10) *Obſeruata circa tritici ariſtas uſtilagine tacta* edit DAN. MELANDER. Ariſtae hoc vitio plerumque humiliores erant ſanis; Ex eadem radice, id quod ſollicite examinauit, adeoque ex eodem grano natis pluribus culmis, ariſtarum, aliae morboſae erant, aliae ſanae, illae ſemper humiliores, et in manipulo 7 aut 8 culmorum, eidem radici inſiſtentium, quo altiores erant culmi, eo minus morboſae, altiſſimae omnino ſanae. In eadem ariſta, alia grana ſana erant alia morbida, rurſus obſeruata lege, vt quo propius culmi altitudo ad ſanorum altitudinem

titudinem accederet, eo minus morboſorum continet ariſta. Cum pars agri arenoſa eſſet, in illa multo plures ariſtae morboſae repertae ſunt. Ariſtae huius tritici non ortae, niſi ſub initium Iulii, poſt quod tempus nullae fuerunt noctes frigidiores, quae ſolent alias in regionibus borealibus ſementem occidere.

Itaque colligit Noſter morbum illum, non naſci a frigore, aut tempeſtate, cum feritur, aut ſpecie tritici, quod feritur; His enim poſitis credit ex vno eodemque grano non poſſe naſci ariſtas ſanas et morboſas. Difficultatem etiam hinc naſci iudicat aduerſus eos, qui contendunt morbum eſſe ab inſectis, quae ouula in grana, quae feruntur, depoſuerint, etſi hoc negare nolit, ſed vlteriorem inueſtigationem commendet. p. 287.

Trimeſtre quartum.

1) *Inſtrumenta duo, inclinationi acus magneticae menſurandae idonea* deſcribit, IO. CAR. WILKE. Sunt illa, quibus in itineribus ſuis vſus eſt, Cl. EKEBERG (Trim. III. diſſ. 6.) ex cuius obſeruationibus varia ſimul deducuntur, inprimis ad emendandas lineas, inclinationibus acus indicandis in tabula olim edita deſcriptas (in Actis anni 1768). p. 287.

2) Diſſertationem de *durabilitate mundi viſibilis tertia parte* finit, DAN. MELANDER. Vberius oſtendit, planetas in orbibus conſtantibus circa ſolem reuolui non poſſe, ſi alia fingatur attractionis lex, quam, quae re vera obtinet, in reciproca duplicata diſtantiarum; Fixas vero remotiores eſſe, quam vt vel ipſae ſenſibili modo motus noſtri ſyſtematis turbent, vel a noſtro ſole turbari poſſint. p. 307.

p. 307. 3) *De* Pounxa, *borace nativo* refert IO. ABR. GRILL, quae habet a Sinenſe nominato Trim. II. diſſ. 7. Effodi in regno Tibeth, profunditate 2 vlnarum. Trium ſpecierum eſſe *Houi Poun* magnitudine granorum Mannae; *My Poun* ſimile fabis paruis albis; *Pin Poun* ex cryſtallis ſemipellucidis, iuglandis magnitudine conſtans. Natiuum reperiri, non coqui; purificari tamen ope aquae ebullientis, fere vt nitrum.

p. 321. 4) *Idem* Pounxa, examinat GVSTAV. AB ENGESTROEM. Verum Boracem eſſe oſtendit, et varia adfert, ad accuratius examen terrae, quae minèra boracis appellari poſſit, materiae, quae *Tincal* vocatur, eorum, quae Sinenſes faciant ad purificandum boracem pertinentia, quorum multa, non niſi coniectaе ſunt.

p. 329. 5) *Philine quadripartita*, *nouum genus molluſcorum marinorum* deſcribitur et depingitur a PETR.
p. 330. ASCANIO M. D. et Prof. Charlottenburgi. Character genericus eſt: Corpus ouatum, conſiſtens, hyalinum, plica laterali, longitudinali, clypeo pectorali conchaeformi reperitur in mari Noruegico prope *Arendal*, in ſinubus quietis maris, ad profunditatem 30 aut 40 hexapedarum. Cum mare ſatis longo tractu boream verſus ab eo, quem diximus, loco, inſtrumento, quo ex profundiſſimis locis res attolli poſſunt, examinaret, nunquam alibi idem animal reperit. Viuum ſeruauit plures dies in aqua marina, ſed quietum ſemper iacuit in fundo vitri, vt, cum nullos motus ederet, difficulter tandem pectus et dorſum, os et anus agnoſcerentur. Intus habet quatuor oſſicula, vnum conchiforme, tria altera ſcaphoidea, membranae ope cohaerentia, quae Noſtro videntur dentes in ventriculo. Ceterum

de

de oeconomia animalis nihil omnino experiri potuit.

6) *Morbi infantum ſtrangulatorii hiſtorias* quas- p. 332.
dam edit E. D. SALOMON; Med. et Chir. Studioſ. Suecis *Strypſjuka* appellatur. De nouo morbo, nec ſatis noto, quae potuit, collegit Equ. A. ROSENSTEIN, in libro de morbis infantum. (Qui hunc librum germanicum reddidit, Cel. MVRRAY, Prof. Bot. Gotting. morbum: die *häutige Bräune* appellauit. Eſt enim cauſſa eius membrana peregrina, in interiore aſperae arteriae cauo nata.)

Caſuum, quos prolixiſſime Noſter enarrat, qua- p. 334.
tuor ſunt, duo priores aegri mortui ſunt, reliqui duo conualuerunt. Generalia morbi phaenomena ſunt, reſpiratio difficillima, tuſſis vehemens, ſonitus, quem cum illa gallinarum voce, quam Germani *pipen* appellant, comparant. In primi aegri, pueri quatuor annorum, cadauere haec inprimis viſa: Muſculi colli anteriores cum tunica celluloſa alte rubentes, ſanguine tumentes. Aſpera arteria intus et extus tota inflammata, vſque ad pulmones. In eius cauo, duas circiter lineas infra glottidem, reperta membrana alba, cum maculis rubris, totam ſuperficiem internam exacte inueſtiens, ea facile ſcabendo ſeparari poterat, vt, quae nuſpiam adhaereret membranae villoſae laryngis, ſed illi ſaltim incumberet, neque membrana villoſa vllibi laeſa erat, aut putrida. Illam membranam peregrinam comparat Noſter papyro tenuiſſimae, quae aquam imbiberit.

Continuabatur autem per omnem tracheam, in p. 335.
progreſſu craſſeſcens, vt, ad initium bronchiorum, triplo craſſior eſſet, quam ad laryngem. In ambobus bronchiis apparebat adhuc membrana, ſed tenuior, vbi in pulmones progrediuntur, attamen

veſtigia membranae animaduertebantur vſque ad extrema vaſa aërea. Intus et extra membranam, quibusdam in locis aqua ſpumeſcens, nullibi pus. Pulmonibus nulla inflammatio, erant vero ſanguine pleni. Circa vaſa aërea velut glandulae induratae, inprimis vbi bronchia pulmones intrant. Cor ſanguine vacuum, attamen ſanum, vna cum viſceribus abdominis.

p. 337. Non diſſimilia viſa in cadauere altero. Iis, qui conualuerunt, inprimis profuerunt, venae ſectio, hirudines et veſicatoria applicata parti anteriori colli, emetica. Palmarium, quod ex his hiſtoriis colligit, qui eas refert, hoc eſt. Vrinam albidam et muco plenam indicare, quod membrana in arteria aſpera formata ſit, itaque tum prodeſſe emetica, quae, ſi adhibeantur cum inflammata eſt aſpera arteria, membrana autem nondum ab illa ſeparata, ſuffocationem, hic tantopere metuendam, magis promotura ſint, quam impeditura.

p. 339.

p. 343.

p. 344. 7) *Relationi praecedenti* quaedam *addit* ABRAHAM BAECK M. D. Arch. Reg. inprimis ad hiſtoriam primam ſupplementa, cuius aliqua etiam repetit.

p. 346. Membrana arteriam aſperam inueſtiens in aqua natauit more muci firmius inſpiſſati. Pulmones liquido pleni, ſecti oſtendebant ſpumam fuſcam. Morbus infantum ſtrangulatorius, ſub finem Septembris, item fluentibus Octobri et Nouembri, in pluribus familiis infantes adgreſſus erat, et eos occiderat. Ex hoc ſtatu epidemico, collatis, hiſtoria morbi, ex iis, quae in cadauere obſeruata ſunt, colligit Noſter, inchoatam fuiſſe formationem membranae in arteria aſpera; quae, ſi continuaſſet adfluxus humorum, ad eam tubi firmitatem et conſiſtentiam ereuiſſet, quae in infantibus, morbo ſtrangulatorio defunctis, plerumque reperitur. Geneſin

p. 346.

ſin eiusmodi membranae, concipit ex muco, qui in ſtatu naturali interiora arteriae aſperae obducit; eum cogitat, adfluxu maioris copiae humoris viſcidi, denſari, et inflammatione ac irritatione ſuperficiei interioris arteriae aſperae in tubum firmiorem abire, qualem lineae craſſitudine vidit, nec adeo facile ſeparabilem, is in concauitate velut particulas exiguas quadrangulares, ex quibus compoſitus eſſet, oſtendebat, aequales illis, quae in epidermide manus obſeruantur, in conuexo, quod interiorem aſperae arteriae faciem reſpicit, aequabilior erat eius ſtructura, nullis eiuſmodi quadrangulis diſtincta. p. 347.

Porro ex caſibus enarratis infert Noſter, non ſemper circa membranam peregrinam in arteria aſpera pus reperiri, aut mucum, quibus tandem ab arteria aſpera ſepararetur. Aegros forte vita functos eſſe, antequam craſſior eiuſmodi membrana ſe a ſuperficie interna aſperae arteriae ſeparauerit, et puris copia aliqua nata fuerit. Etſi enim in iis, qui morbo ſtrangulatorio perierunt, ſaepius nulla inflammatio reperta eſt, nec pulmonem, nec aſperae arteriae, concipit tamen initio, et cum aegri anguntur, ardore, febre, quam pulſus indicat, coryza, tuſſi, reſpiratione difficili, pulmones eſſe in maiore aut minore gradu peripneumoniae; itaque morbum ſub initium habere ſtadium inflammationis; vbi proſint, venae ſectio, hirudines, lenia et refrigerantia laxantia. Ita leuari inflammationem, quae et ipſa mortalis eſſe queat, et forte multum faciat ad geneſin membranae. Qua inflammatione leuata, ſi non nata ſit craſſior membrana, quam, quae diſſolui et eiici poſſet, a vaporibus ſambuci, aceti cet. inſpiratis, et emeticis, ſpem eſſe ſanandi aegrum. Craſſiorem vero membranam abſque vllo auxilio aegrum ſuffocaturam; id vero p. 348.

forte

forte etiam facere poſſe membranam, diſſipata, medicamentorum ope, inflammatione, vt nihil eius in cadauere animaduertatur. Id monet contra exterum aliquem celebrem medicum, qui morbum pro febri catarrhali habeat, vbi mucus in membranam condenſetur.

Porro hinc colligit, Noſter, quam diu adſint ſigna inflammationis, periculoſa eſſe emetica. Olim iam morbum, qui nouus videtur, adfuiſſe non dubium eſſe; non obtuliſſe vero ſe membranam,
p. 349. medicis nihil tale cogitantibus, itaque morbum habitum eſſe pro angina gangraenoſa, aut alio colli malo. Multum cum illo commune habere anginam inflammatoriam, quam deſcribit RYSSEL in libro *The oeconomy of Nature* Lond. 1773.

p. 349. 8) *Parochiae Kuſamo deſcriptionem* continuat ELIAS LAGVS. Iam naturae hiſtoria. Parum no-
p. 350. tatu digni de lapidibus et regno minerali. Arbores, nec procerae, nec craſſae, quod ſitui montano tribuit, cum maiores habeant, in regionibus aeque aut magis borealibus, ſed minus montoſis. Plantae multae, quales expectari poſſunt in copio-
p. 352. ſis loci paludibus. Sed et *Vaccinia, Oxycoccus, Vitis Idaea, Myrtillus. Rubi Chamaemori* fructus dolet non diligentius colligi et condi ab incolis; plurimum enim proſunt contra ſcorbutum, itaque deſiderantur a Ruſſis, ad inſulas maris glacialis ad animalia capienda proficiſcentibus, quibus hyems frigida, humida, otioſe inter pericula a feris tranſi-
p. 353. genda eſt. Flora Kuſamenſis, non omnino floribus pulchris orba. Vrtica dioica hic ad plantas rariores pertinet. Auium et piſcium magna, tum
p. 357. copia, tum varietas. *Salmo Salar* et *S. Eſox*, in quibusdam fluuiis aeſtate deſcendit, cum alias eius mos ſit adſcendere, forte quod habitatione ſua ſuperiores

periores fluuios non reperiat. In fundis flumi- p. 358.
num habitat *myas margaritifera*, ſaepius vniones immaturos continens, rariſſime maturos.

9) *Diſſertationi de Parallaxi ſolis* Trim. II. edi- p. 358.
tae quaedam addit ANDR. PLANMAN.

10) *Structuram granis ſiccandis* item *polentae* p. 368.
idoneam edit PETR. WASSTROEM. Grana imponuntur tabulae ferreae minimis foraminulis pertuſae. Ea fundo prope furnum aliquem impoſita, calefit ope tuborum ex lateribus ſtructorum, per quos calor circumducitur.

11) *Conos truncatos computare* docet ZACH. Z. p. 370.
PLAVTIN, Menſurarum et ponderum inſpector eum in finem, vt, quantum ferri infuſi pondus eiuſmodi capiat coni cauitas, conſtet, quo poſſint formae conſtrui, ponderibus ex ferro faciendis idoneae.

X.

A Treatiſe on the Kinkcough. With an Appendix, containing an Account of Hemlock, and its Praeparations. By WILLIAM BVTTER, M. D. Fellow of the Royal College of Phyſicians, Edimburgh. — London: Printed for T. Cadell. MDCCLXXIII. 8. mai. pagg. 206. praef. pagg. 5.

i. e.

Tractatus de tuſſi conuulſiua, cum appendice de cicuta eiuſque praeparatis, auctore GVILIELMO BVTTER.

In

In praefatione primum in Cl. FOTHERGILL methodum huic morbo medendi *) inuehitur Noſter, poſteaque teſtimonium Cl. ELIOT adiungit, cicutam in tuſſi ſine febre, adeoque in maraſmo, modo haec abſit, fruſtra prius in vſum vocato lacte aſinino ipſoque humano, ſummum remedium exſtitiſſe.

Opus ipſum in ſeptem capita diuiſum eſt, quorum primum ſynonyma, definitionem, deſcriptionem et prognoſin morbi noſtri; ſecundum eius naturam; tertium eius ſedem; quartum cauſſas; quintum hiſtoriam cicutae, quatenus vt remedium aduerſus eum conſideratur; ſextum curationem morbi huius ſimplicis aeque ac cum aliis complicati; ſeptimum denique corollaria complectitur.

p. 3. Inſpirationem ſtridulam plerumque in morbo noſtro adeſſe monet Auctor, huncque, ſi ſymptoma hoc abſit, tuſſim conuulſiuam imperfectam nominat. Viuidam et exactam morbi huius deſcriptionem exhibet, qui in principio catarrhi ſpeciem mentitur, ſed poſt aliquot dies, interdum poſt tres demum ſeptimanas exaſperatur; paroxyſmi periodici quidem ſunt, ſed aliis ſubiectis crebrius, in aliis tardius recurrunt: ſub iiſdem ſymptomata adeo ingraueſcunt, vt ſuffocationis metum portendant, donec expectoratio aut vomitus pituitoſus accedat; interdum paroxyſmus eo intenditur, vt totum corpus rigeſcat, lipothymia accedat, et aeger mortuus videatur, gradatim demum ſuſpiriis ac ſingultu redeunte reſpiratione. Sanguis ex oculis, naſo, pulmonibus aut ventriculo exiens paroxyſmum leuat, aeque ac vrina feceſque inuoluntarie emiſſae.

Paro-

*) Vid. Medical Obſervations and Inquiries by a Society of Phyſicians in London. Vol. III. p. 319. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 149.

Paroxyſmi noctu grauiores ſunt: excitantur protinus a paſtu nimio, potu frigido, refrigerio, motu celeriore, aut quocumque vehementiore animi affectu. Praenunciantur ſignis quibusdam, quae nonnumquam quatuor ante horis accedunt, ex quibus frequentiſſimum eſt peculiaris titillationis ſenſus aut in ſcrobiculo cordis, aut in pectore, aut in larynge. Infantes adeo, his ſignis praemoniti, obſtinate cibum potumque repudiant, variiſque modis paroxyſmum praeuertere tentant. Morbus hic plerumque tres circa menſes durat, quamquam tuſſis ſimplex ſaepe diu remanet. Facile idem reuertitur, tunc autem breuioris durationis eſt. In euentu fauſto paroxyſmi ſenſim mitiores fiunt et tardius accedunt, vomitus ceſſant, ſputa magis cocta redduntur, artus calorem naturalem, cutis perſpirabilitatem, corpus totum robur ſucceſſiue auctum acquirunt, aluo libera et interdum laxa. Infelix exitus vel violentiae paroxyſmorum, vel nimis longae durationi morbi adſcribendus eſt: terminatur vel ſuffocatione aut conuulſione in paroxyſmo, vel apoplexia, vel phrenitide; producit etiam hydropem, memoriae abolitionem, hernias, prolapſum inteſtini recti, abortus, inflammationes et exulcerationes pulmonum, ſimilesque morbos. Haemorrhagiae, quamquam paroxyſmos leuant, frequentiores tamen morbum protrahunt et vires exhauriunt. In epilepticis vel ſimili morbo affectis, iis quibus pulmones debiles ſunt, qui alio morbo vel laborarunt, vel actu laborant, ſpeciatim verminoſis, dyſentericis, varioloſis et morbilloſis, vel vbi peripneumoniae ſymptomata morbo Noſtro ſe iungunt, periculum maximum eſt.

Morbus hic epidemius eſt, praeſertim inter infantes, potiſſimum eos infeſtans, qui numquam eo p. 13.

labora-

laborarunt, communiſſimus vere et auctumno, contagioſus, imo aeque ac alii morbi huius claſſis in alias familias, vrbes, imo trans mare propagandus: minoris tamen efficaciae, quam variolae ac morbilli in aggrediendis iis, qui ex eodem in teneriore aetate euaſerunt. Febris eidem eſſentialis non eſt: quare ad inflammatorios non pertinet. Ex morbi igitur deſcriptione, nocentibus ac iuuantibus ſimul perpenſis, patet, eum morbis neruoſis ſpaſticis annumerari debere; et morboſam irritabilitatem glandularum mucoſarum primariam horum ſpaſmorum cauſſam exiſtere.

p. 20. Iam accedimus ad ſententiam Noſtri de ſede ſpeciali huius morbi, quae eo reddit: continuam eam membranam, quae aeque totum canalem inteſtinorum ac pulmones interius inueſtit, in genere ſuſcipere particulas contagioſas morborum epidemicorum, ſed ſingulas eius partes ſpecifica ratione ſingularibus morbis fauere: anginam membranam faucium; morbillos, pulmonum; variolas, ventriculi; febres intermittentes, duodeni, afficere cet. inde membranam inteſtinorum morbi noſtri ſedem conſtituere. Argumenta ad confirmandam hanc ſententiam depromit ex ſubiectis huic morbo maxime obnoxiis, infantibus, quorum plerique morbi ex primis viis oriuntur; ex remediis, quae huic morbo accommodatiſſima ſint; ex morbis, quae ex hoc originem ducant, ſi pertinacior fuerit, ſcrophulis nempe et rhachitide, quos ex deprauato viſcerum abdominalium ſtatu oriri nemo ignorat; tandem ex analogia inter noſtrum et alios periodicos morbos, quorum ſedes indubia ſit in inteſtinis: qua occaſione hiſtoriam colicae verminoſae, definita hora ſingulis noctibus recurrentis, largae excretionis vrinae, itidem ſingula nocte redeuntis,

tis, a deprauatis primis viis ortae et purgantibus cardiacisque curatae, ac denique ophthalmiae periodicae, quam ophthalmiam choroideae quotidianam intermittentem dicit, et quae, praemiſſis et ſubiunctis ſolitis remediis aduerſus ophthalmias praeſcriptis, pilulis aloeticis cum opio, ſucceſſiue quantitate aucta, purgantibus, ac denique roborantibus, inprimis Peruuiano cortice, curata fuit, addit. Denique paucis argumenta eorum refutat, qui aut in pulmonibus, aut in ventriculo ſedem mali quaeſiuerunt.

Inter cauſſas praediſponentes primum locum tribuit ſingulari irritabilitati ſyſtematis neruoſi, quae infantibus propria eſt: neque tamen aliae negligendae ſunt, nimirum diſpoſitio haereditaria ad morbos ſpaſticos; hi ipſi actu praeſentes; ſaburra copioſa primis viis inhaerens; vermes; dentitio; refrigerium; ac denique morbi acuti in genere. Occaſionales cauſſas ad vnicam reducit, nimirum miaſma ſpecificum, neruis inimicum (aeque ac in aliis morbis contagioſis), et potiſſimum in mucum agens. Vti reliqui morbi iſtius claſſis calidiorum regionum ſoboles dici merentur, ſic noſter Europae endemius habendus eſt. Sicut dyſenteria ſponte gignitur in corpore, ad eam diſpoſito, et inde demum contagio propagatur: ſic idem in noſtro morbo fieri Noſter exiſtimat; aëri atmoſphaerico nihil hic tribui poſſe, vel inde concludas, quod eiuſdem mutatio ad curandum morbum inutilis ſit, ſi ab eo emolumento receſſeris, quod ab hac mutatione in alios quoque morbos, praeſertim neruoſos, proficiſcitur. Cauſſam, cur morbus raro plus vna vice hominem aggrediatur, in eo ponit, quod per eum ipſum, etmulto magis per auctum incrementum corporis, p. 49.

conſtitutio huius ita mutetur, vt ad ſuſcipiendum denuo contagium ineptum euadat.

p. 60. Recenſet poſtea viginti hiſtorias morbi huius, quem partim ipſe, partim amici quidam tractauerunt, in quibus cicutae vſus ſalutaris inuentus eſt: neque morbus in omnibus ſimplex erat, ſed ſaepe complicatus cum variolis, dentitione, vermibus, febre intermittente, graui hanc excipiente diarrhoea, quae laudani vſum poſcebat. Ex omnibus aegrotis vna femina grauida adultioris aetatis erat, reliqui omnes infantes, et ex his quidam adhuc lactantes: vnicus puer ex pauperiori hominum claſſe (ex quibus ſi non omnes, ſaltem plerique, fuiſſe videntur) febre lenta iam detentus, poſtquam tuſſis conuulſiua per aliquot dies plane diſparuerat, moriebatur;
p. 116. aliud exemplum legimus in caſu decimo ſeptimo puellae, quam in hiſtoria morbi Noſter dicit con-
p. 159. valuiſſe, in epicriſi vero horum caſuum ex neglectu auxiliorum aduerſus febrem intermittentem praeſcriptorum in tuſſim lethalem, inflammatis ac poſtea exulceratis pulmonibus, incidiſſe refert.

Reliquas mutationes iam miſſas facimus, quo ad praecepta de curatione morbi noſtri progredi
p. 164. queamus. In morbo ſimplici extractum cicutae in aqua ſolutum propinandum eſt, paruis, ſed crebro repetitis doſibus, ita, vt medicamentum ſingulis viginti quatuor horis recens paretur; doſis vel ſingulis, vel alternis diebus augenda, donec vires exſorat. Doſis autem huius extracti pro infante nondum ſex menſes nato ſit in principio grani dimidii in vncia vna aquae fontanae, ſufficienter edulcoratae; a ſex menſibus ad duos annos grani vnius in ſeſquiuncia aquae; a duobus ad quatuor annos granorum duorum in totidem vnciis aquae, et ſic ad

ſingulum

ſingulum annum augmento grani dimidii: aetas viginti annorum grana decem in principio fert. Vehiculi vero diſpar ratio eſſe poteſt: minima doſis vnius, maxima octo vnciarum. Poteſt etiam exhiberi in forma puluerís, boli aut pilularum. Si alvus non rite reſpondet, addetur mixturae conueniens portio magneſiae aut ſalis polychreſti: adultis datur infuſum ſennae, aut ſal polychreſtus, aut pilulae aloeticae. Victus animalis parciſſimus ſit vel nullus, exulet etiam potus fermentatus. Si vermes ſimul adſunt, maior adhuc cura haberi debet alui apertae ſeruandae. Morbi noſtri cum dyſenteria ſociati exemplum olim vidit Noſter, quae ſolo largo vſu ſyrupi papaueris albi tandem vincebatur: neque vero tunc cicutam alienam fore arbitratur. In dentitione multum commendat ſcarificationem gingiuarum. Si febris intermittens, cum morbo noſtro coniuncta eſt, cicutae vſus vtrumque morbum vna debellat. Eamdem in variolis ſimplicibus prodeſſe, ſub ipſum principium febris eruptionis exhibitam, purgatis primis viis, duobus exemplis vidit Noſter, et ex inoculatoribus quibuſdam audiuit, tuſſim conuulſiuam non eſſe timendam in inoculatione ſuſcipienda, eaque ipſa quodammodo mitigari. Periculoſior complicatio eſt morbi noſtri cum morbillis, cuius tamen Noſtro exempla nulla obuenere. Tandem etiam graviditatem, cui ille ſuperueniens omnino mali omnis cenſendus eſt, cicutae vſum ferre primo ſtatim ſupra allegatorum caſuum pateſcit. Haec demum p. 178.
omnia in corollariis ſubiunctis colliguntur, exque his concluditur, cicutam curare morbum noſtrum facile certe, cito et iucunde.

In appendice primo cicutae ſynonyma deſcri- p. 187.
ptioque botanica ampliſſima et exactiſſima exhiben-

tur, et poſtea de praeparatis eiuſdem agitur. Melius eſt plantam prope ignem viuidiorem ſiccare, quam lente, quoniam inſignis eidem ineſt diſpoſitio ad fermentationem: ſi ſufficienter friabilis eſt, in puluerem reducatur ſubtilem, qui bene in lagenis clauſis ſeruatus per plures menſes efficacitatem ſuam retinet. Ad parandum extractum planta veſperi colligenda eſt, vt ſummo mane operatio incipi et non interrupto ordine continuari poſſit, et eo quidem tempore anni, vbi primum floreſcere incipit. Tota planta, excepta radice, concidenda et ligneo vel marmoreo mortario conquaſſanda eſt, ac demum pondere 5 vel 6 librarum ſingula vice exprimenda. Qui primum exprimitur ſuccus opacus eſt et profunde viridis, parci odoris; ſenſim vero vti colorem dilutiorem, ſic odorem fortiorem acquirit. Expreſſus ita ſuccus, quieti relictus, ſedimentum flaueſcens deponit, quod vero remouendum non eſt, quum ad euaporationem proceditur, quae optime ſit in patina ampla vitrata, carbonibus imponenda. Antequam ſuccus calorem maiorem acquirit, pellicula viridis generatur, quae continua agitatione cum ramulo cicutae diſſipanda eſt, cauendumque, ne ebullitio oriatur, donec extractum mediae conſiſtentiae paratum ſit, cuius libra vna plerumque ex libris (*pints*) ſex ſucci obtinetur. Hoc extractum cum quinta parte puluerис commiſtum et per aliquot dies ſepoſitum, vt puluis aquoſas particulas extracti eo melius imbibat, maſſam pilularem praebet, quae in vaſis conuenientibus, qualia ſunt, quae in noſtra Germania *Steingut* dici ſolent, ad duos annos integris viribus ſeruari poteſt. Haec maſſa, ſi aegri in forma boli vel pilularum eam repudiant, ab octo ad octoginta grana et vltra commiſceri poteſt cum aquae fontanae vnciis octo, ſpiritus vini et ſacchari albi ſingulorum

vncia

vncia dimidia, quam mixturam quotidie renouari oportet. Infuſionem herbae recentis nonniſi ſemel tentauit Noſter, nimisque flatulentam inuenit. Ad emplaſtrum inde parandum praeſcribit gummi ammoniaci vncias octo, cum aceti communis libra anglica in mortario marmoreo vel ſupra lenem ignem ſoluendas, deinde colaturam cum vnciis quatuor maſſae pilularis coniungendam, et maſſam hanc leniſſimo caloris gradu ad conſiſtentiam emplaſtri euaporandam: ex aequalibus partibus maſſae pilularis et mellis, ſine calore mixtis, vnguentum: ex his varia proportione ceratum, linimentum, et addita aqua, clyſma, gargariſma cet. paratur. Duae partes pulueris, et vna farinae auenaceae, cum aqua parum ebullientes, addita ſub finem duodecima parte mellis; vel ſufficiens quantitas foliorum recentium cum eadem proportione mellis et ſufficiente copia farinae, cataplaſma; herbae recentis contuſae octo, vel celeriter ſiccatae tres vnciae, per quinque minuta in menſuris quatuor (*gallon*) aquae coctae, poſt refrigerationem colatae et tunc ſufficienter calidae redditae, quum vſus requirit, fomentationem largiuntur. Denique in vſum eorum, qui botanicam non callent, characteres accidentales, ex quibus plantam colligendam dignoſcere queant, recenſentur.

XI.

Animadverſions on a late Treatiſe on the Kinkcough. To which is annexed, an Eſſay on that Diſorder. — London, Printed for R. Baldwin, and I. Bew. MDCCLXXIV. 8. mai. pagg. 55. praef. pagg. 8.

i. e.

Animaduerſiones in nuperum tractatum de tuſſi conuulſiua. Accedit tentamen ſuper eodem morbo.

Vel ex ſolo titulo, cui ſubiunctum eſt lemma *Nil praeter gelidas auſus conferre cicutas*, finis huius libelli patet, eo nimirum tendens, vt tractatum Cl. BVTTER refellat: quod quidem ſatis ani calamo perfecit ignotus auctor; num ſatis decenter, imo ſatis iuſte, penes eos eſto iudicium, qui propius Cl. BVTTER norunt. Nobis certe repreheno-
p. 4. ſio monopolii, quod is quaerat in extracto cicutae per totum regnum vendendo; eum olim ſibi tri-
p. 24. buiſſe methodum curandi calculum per iniectiones, quam poſtea Cl. WHYTT ſibi vindicauerit, cet. paullo durior viſa eſt. Sed ad ſingula momenta progrediamur. In praefatione Auctor querelas Cl. DE HAEN de dubio effectu cicutae ambiguoque euentu experimentorum cum ea captorum recoquit, et poſtmodum in tractatione ipſa primum Cl.
p. 1. FOTHERGILL defendit, deinde agyrtae in modum eum agere pronunciat, qui tuſſi conuulſiuae remedio ſpecifico, variis licet morbi cauſſis, conſtitutionibus, periodis, coniunctionibus cum aliis morbis cet. mederi intendat. Simili modo Cl. BVTTER nullo modo vtilitatem cicutae in variolis demonſtrare, caſusque adductos morbi adeo mitem gradum oſtendere, vt vel ſine cicutae vſu morbum profligandum fuiſſe putandum ſit.

p. 7. Accuratius ſingula ſcriptionis iſtius capita laſtrans monſtrat, ſynonymorum recenſionem admodum eſſe inperfectam, aeque ac deſcriptionem ac prognoſin; naturam morbi noſtri ab aliis iam Auctoribus,

ſtoribus, et verius quidem accuratiusque, eſſe definitam; difficile eſſe probatu, inteſtina infantum eſſe irritabiliora reliquis corporis partibus, atque omnes eorum morbos ex primis viis proficiſci; neque ſcrophulas rhachitidemque ſemper effectum tuſſis conuulſiuae pertinacioris dici poſſe, quum iſta mala a vitiato relaxatoque habitu totius corporis pendeant, et Cl. BVTTER ipſe concedat, ſcrophularum ſedem eſſe in glandulis conglobatis, ſimul vero tuſſis conuulſiuae ſedem in inteſtinis quaerendam eſſe largiatur; falſum eſſe, omnes morbos periodicos ex abdomine ortum ducere, quum morbi topici periodici, ipſumque adeo adductum exemplum ophthalmiae, contrarium euincant; non omnia miaſmata morboſa in canali alimentorum primo euolui, ſed venenum viperarum ſine noxa deglutiri, quod in vulnere lethale fiat, contagium- p. 14.
que varioloſum vero ſimilius per reſpirationem aliasque reſorptionis vias in corpus ingeri, inque inoculatione, priusquam febris oriatur, enecatione vermium patefieri, ipſum in inteſtina agere; multiplicem eſſe confuſionem contradictionemque in ſcrutinio cauſſarum a Cl. BVTTER ſuſcepto; non in ſola Europa endemium, neque adeo recentem morbum eſſe, quum iam HIPPOCRATES et AVICENNA eiuſdem meminerint, et Cl. HILLARY eum in inſula Barbara (*Barbados*), non quidem aliunde huc delatum, viderit; glandulas mucoſas ventriculi atque inteſtinorum vnius eiuſdemque eſſe indolis, neque inde aerem, vere morbi fomitem continentem, per ventriculum tranſire poſſe, vt in inteſtinis demum morbum producat; errores denique in formanda indicatione ex falſa idea de morbo ipſo, iterumque, quid requiratur, ſi remedium quoddam ſpecificum dicere velis.

p. 23. Deinde exempla curationum a Cl. BVTTER addita ſigillatim contemplatur, oſtenditque, ea omnia fidem, qua opus erat, non mereri; in aliis auxilia alia potiorem partem curationis abſoluiſſe, in aliis morbum non eſſe curatum, in aliis mortem potius, neglectis auxiliis magis accommodatis, inductam; abſonum eſſe, ſi dicat, nihil referre, ſub qua forma cicuta vtantur aegri, quum tamen mixtura praeſcripta nimis facile fermentationem ſubeat, et inde prorſus mutetur; denique ſi quid vtilitatis a cicuta exſpectandum foret, aegrorum ſaluti ipſa a Cl. BVTTER praeſcripta praeparatione conſuli, qua nonniſi quinta pars actiui, ſed noxii, medicamenti in vſum ducatur, meliuſque ideo ab eodem prorſus abſtineri, quum omnino tutiora ſuppetant.

p. 39. In ſubiuncto tentamine de hoc morbo prius Lectores, quid ab aliis auctoribus de eodem proditum ſit, ſcire cupientes, ad Cl. MILLAR *) amandantur, ac poſtmodum epidemice 1749 Londini et in adiacentibus locis graſſatus morbus deſcribitur. Sub initium veris, tempore humido et magnopere frigido, complures infantes vna aggrediebatur tuſſicula ſicca, qualis a refrigerio eſſe ſolet, ſed ſtatim ſubſequebatur excretio pituitae viſcidae; pulmones ventriculuſque indies magis aucta quantitate eiuſdem aggrauabantur, qua tuſſi et vomitu reiecta leuamen accedebat; donec rurſus cumulata pituita nouus paroxyſmus excitaretur, ſub quo infantes robuſti frequenter ſanguinem ex naribus fundebant, quemadmodum etiam interdum pituita excreta ſanguine

*) Obſeruations on the aſthma and on the hooping wugh. London 1769. 8. mai. cuius operis breuem recenſionem vid. in comm. noſtr. Dec. II. Suppl. IV. p. 695. ſeqq.

guine remixta erat; breui tamen corporis habitus leucophlegmaticus reddebatur. Morbus, ſi mitiſſimus erat, ſex hebdomadas, grauior vero duos, vel tres menſes, imo longius durabat. Infantes iuniores, qui pituitam excernendam deglutiebant, colica, diarrhoea, excoriatione circa anum vexabantur; accedebant ſiccitas cutis, pulſus celer et paruus, oedemata, et ceſſante ſenſim tuſſi, infantes peripneumonia ſpuria exſtinguebantur. Epidemia haec, per aliquot dies ſaepe pacata viſa, tamen recrudeſcebat, nec niſi verſus finem aeſtatis prorſus euaneſcebat. Morbi huius cauſſam ponendam eſſe in quadam diſpoſitione aëris, planum eſt et confectum, ſiue is repletus fuerit miaſmate quodam, quo humores ſeroſolymphatici acriores redditi largiorem ſecretionem irritatione vaſorum effecerint, ſiue is vi relaxandi ac debilitandi ſolida, fluidaque inſpiſſandi, praeditus fuerit; neque ergo miaſma iſtud glandulas mucoſas ſolas irritare, quae eſt ſententia Cl. BVTTER, vel exinde apparet, quia non mucus, ſed lympha ſpiſſior excernitur. Indo ſedem primam mali non in inteſtinis eſſe, docet neglecta euacuatio per vomitum, ex qua noua ſymptomata proficiſcuntur. Porro diſſeritur de irritatione nervorum, quatenus ea, vt cauſſa tuſſis, conſiderari debet, moneturque, ſi vna cum tuſſi neruoſa adſit viſcidum accumulatum, hanc nonniſi parciſſima doſi opiatorum, v. c. ab vna ad tres guttas laudani per diem, mitigandam, minime ſupprimendam eſſe: vbi igitur copioſa materies ſit aduerſus cicutae opio analogas vires diſputandi, duoque exempla adducuntur cicutae aduerſus ſcirrhoſos tumores mammarum ſiniſtro cum euentu vſurpatae, ita, vt aegre ſanitati reſtitui potuerint aegrotae. Ad prorſus debellandum morbum, tonumque ſolidis reſtituendum, purgatis ſufficienti modo primis viis,

tinctura cantharidum, aut camphora, aut cortice Peruuiano, aut antimonialibus, aut his vario modo inter se iunctis, vtendum et parcissima dosis laudani per interualla interponenda est. Venaesectio in plethoricis et sub haemorrhagia narium, aut si sanguis pituitae immixtus est, sed nonnisi summa cum cautione administrari debet. Ad vomitum ciendum antimonialia reliquis praestant, quibus quotidie conueniens dosis rhei et salis polychresti subiungatur, adhibitis simul tonicis et lenientibus supra dictis. Sin autem primae viae non satis purgatae fuerint (quod periodum secundam morbi dicit Noster), tristior morbi facies est, id tamen commodi adiunctum habens, quod simul vermes, si qui adsint, certissime expellantur: purulenta enim materia, in intestina delata et diarrhoeam sdysenteriam producens, potentissimum est vermifugum. Ad eliminandam autem hanc caussam rheum, sperma ceti remixtum, et postea glutinosa et incrassantia exhiberi deberent; maximi autem tunc vsus sunt vesicatoria, quibus saepe tussis ac expectoratio restituuntur: tandem roborantibus corporis vigor reuocandus et confirmandus est.

XII.

IO. ERN. GVNNERI flora Noruegica obseruationibus praesertim oeconomicis panosque Noruegici locupletata. Pars posterior, cum iconibus. Hafniae. A. MDCCLXXII. Fol. 2. Alph. 6 plagg. tab. aen. 9.

Eadem omnino ratione, qua in priore huius florae parte *) plantae Noruegicae ab Ill. Auctore,

*) v. comm. nostr. Vol. XVI. p. 513. vbi instituti ratio est indicata, vt ad hanc nos referamus.

reliam pie defuncto hic enumerantur, exhibenturque numero DCCXCVIII, quae cum prioris tomi plantis MCXII efficiunt. In determinatione plantarum multa opera adhibita eſt, praeter ſynonyma ſelecta, nouae etiam icones plantarum ſunt commemoratae, quae A LINNAEO ſaepe non indicantur, nomina Noruegica, Lapponica, et Suecica, cum exoticis recenſita, et in praefatione latitudo quorundam locorum eſt indicata.

Atque adeo ſollicite omnia loca perveſtigata ſunt, vt confirmet Auctor Cel. paucas omnino fore plantas, quibus augeri queat flora Noruegiae. Facile patet contineri hic plures Noruegiae proprias, etiam nonnullas nouas plantas, de quibus vti quoque de obſeruationibus et deſcriptionibus nonnullis Cl. Auctoris nunc ſigillatim agamus.

Nouas plantas, vel quae nondum ſatis eſſent determinatae, vel minus bene depictae, et deſcriptionibus et iconibus illuſtrat. Inter priores ſunt plures ex Algarum ordine, ad *Fucum* et *Vluam* relatae. Putat nimirum Cl. Auctor omnes Fucos membranaceos RAII, et *Fucum palmatum* LINNAEI cum ſimilibus eſſe ad *Vluae* genus referendos. Hinc Vluae ſpecies nouas has conſtituit:

Vluam ſoboliferam, quae eſt *Fucus ramentaceus* LINN. vid. OED. fl. Dan. t. 356. p. 105.

Vluam caprinam, acaulem membranaceam, pellucidam coloratam, foliis lineari lanceolatis margine proliferis: eſt *Fucus prolifer* STROEM. Act. Hafn. X. t. 2. depingitur hic tab. VI. f. 4. p. 127.

Vluam maximam, folio ſolitario, indiuiſo, margine late vndulato, ſubſinuato, latitudine longitudinem ſuperante: Tab. VII. f. 5. cum ve- p. 127.

ro

ro iuniorem tantum vidit Cl. Auctor ipſe dubitat, an potius ad *Fucum* ſit referenda.

p. 128. *Vluam longiſſimam*, oblongam membranaceam, margine late vndulato, coſta longitudinali coriacea poroſa. *Tab. VII. f. 2.* Orgyam longa, pedem lata eſt. Forte varietatem *Fuci ſaccharini* eſſe coniicit.

p. 134. *Vluam delicatulam;* membranaceam, planam, coloratam, ſubdichotomam, laciniis dilatatis; faſtigiatam, ſummitatibus hinc fiſſis, illinc denticulatis paſſim prolifera: Tab. VIII. f. 2. *Fuci criſpi* LINN. eſſe varietatem addit.

Fuci noui et depicti ſunt,

p. 122. *Fucus Noruegicus*, fronde plana, ſublineari, dichotoma, apicibus obtuſis, hinc incuruis; dichotoma purpurea. *Tab. III. f. 4. Fuco diuaricato* LINN. propinquus: iuniorem deſcripſit Auctor, vt ipſi non ſatis liqueat, an ſit ſpecies ab omnibus notioribus diſtincta, nec ne?

Fucus pectinatus, frondibus compreſſis, ſupra decompoſitis: ramulis vltimis ſimpliciter pinnatis: pinnulis integris, linearibus acutis, hinc lanceolatis. Tab. II. f. 8. videtur *Fucus ſericeus* GMEL. *fuc.* 149. t. 15. f. 3.

p. 123. *Fuci cartilaginei* LINN. noua varietas, Tab. III. f. 5. quam KNIPHOF. orig. cent. 1. ad *Gorgoniam* referre videtur.

p. 135. *Fucus ptilotus*, qui eſt var. *plumoſi* LINN., differt tamen ab eo frondibus plerumque linearibus, caule diuiſo, ramis non ſemper pinnatim poſitis, ſed ſparſis: Tab. II. f. 15.

p. 143. *Fucus laciniatus*, frondibus ramoſis membranaceis, ramis dilatatis. HVDS. Angl. p. 475. n. 44. GMEL. *fuc.* 182. t. 22. f. 2.

Varieta-

Varietates reliquas Fucorum, nominibus nouis minus recte insignitas, omittimus.

Lichen normoericus, surculoso filamentosus, ater, subnitidus; ramulis hinc obtusis, illinc acutis, filamentis subcapillaceis, fragilibus, ramosissimis implexis. *Tab. II. f. 9-14.* Scutella concoloria, partim terminalia, partim axillaria. p. 123.

Agaricus echinatus, stipitatus, atro purpureus, squamatus, squamis confertis, recuruis, hinc aculeiformibus. Tab. VII. f. 6. 9. 10. p. 125.

Agaricus citrinus, stipitatus, citrinus; pileo sinuato, lamellis alternis minoribus. *Tab. VII. f. 7.* Agaricus hic quidem *Agarico equestri* LINN. similis; differt tamen lamellis, et coloris distributione. p. 126.

Agaricus stellaris, cinereus, pileo orbiculari, striato, striis binis basi contiguis; lamellis albidis; stipite laeui fistuloso: Tab. VII. f. 8.

Arenaria Noruegica, caulibus subteretibus, procumbentibus; floribus binis terminalibus, foliis ouato lanceolatis, eneruiis, nudis. Tab. IX. f. 7-9. Antherae huic sunt didymae, capsula longitudinaliter indeterminate dehiscit. Propinqua est A. *ciliatae*, et *multicauli* LINN. cuius alterutrius varietas forsan, iterata disquisitione, habenda Cl. Auctori videtur. p. 144.

Stellaria ceraſtoides Tab. VI. f. 2. depicta, cum dubia planta sit, vberiore descriptione cum Linnaeana planta comparatur. Planta est subpubescens, calyces et pedunculi simplices, folia opposita, ouato acuta, corollae albae, petalis calyce duplo maioribus, vix semibifidis; foliola calycina destituta membrana nitida marginali, quam habent *Ceraſtia*. p. 119.

Reliquae

Reliquae plantae in tabulis depictae, sunt *Veratrum album* tab. I. *Potentilla niuea.* tab. III. f. 1. *Gentiana ciliata*, varietas, corolla quadrifida tab. II. f. 3 - 5. *Ribes alpinum.* tab. II. f. 1. 2. *Conferua rupestris* tab. III. f. 3. *Ophrys cordata.* tab. III. f. 6. O. *insectifera myodes.* tab. V. f. 1. 2. *O. corallorhiza.* tab. VI. f. 3. *Serapias latifolia.* tab. V. f. 3 - 6. *Pinguicula alpina.* tab. IV. f. 4. *Scrophularia nodosa* tab. IV. f. 1. 2. 3. *Satyrium repens.* tab. VI. f. 1. *Saxifraga cespitosa* et varietates, vt *Groenlandica*, quae vera est *cespitosae* varietas tab. VII. f. 1. 3. 4. Indicauit hanc obseruationem iam LINNAEVS in *Mantiss. II. p. 383.* et S. N. ed. XIII. p. 345. *S. cernua* tab. VIII. et *petraea* tab. IX. f. 1 - 3. *Vlua pruniformis.* tab. II. f. 6. 7. Plurimarum ex his Cl. Auctor vberiores addit descriptiones laudandas.

Ad plantas Noruegiae proprias eas tantum numeramus, quae neque a LINNAEO in flora Suecica, neque a MVELLERO in flora Friedrichsdalensi, descripta, sunt. Huc pertinent *Fucus hirsutus, spermophorus, crispatus, vittatus, discors, spiralis, abrotanifolius, foeniculaceus, lanosus, fungiformis*, ab OEDERO *Dan.* t. 420. depictus, et plures huius
p. 62. generis. *Cochlearia Groenlandica. Axyris prostrata*, semel inuenta, foliis superioribus lanceolatis, calyce floris feminei persistente, triphyllo. Flores masculos non vidit Cl. Auctor. *Iuncus stygius.*
p. 105. *Gnaphalium Norvegicum*, quod ex Noruegia desumsit OEDERVS in *flora Dan.* t. 254. *Saxifraga tricuspidata* a STROEMIO in *act. Hafn.* X. p. 446. descripta et depicta. *Lichen pyrosus.* OED. *Dan. t. 463.*

Ad

Ad deſcriptiones plantarum paſſim quaedam addidit, ſic de *Veratro albo* notat racemos eſſe in vna planta compoſitos, decompoſitos et ſimplices. *Lichen Iſlandicus* colore eſt ater, purpureus, rufus, flaueſcens, pro diuerſitate aetatis, et loci natalis, et differt laciniis latioribus et anguſtioribus. In *Eryſimo hieracifolio* ſtigma didymum obſeruauit. *Saxifraga tridactylites* et *petraea* affines ſunt. *S. petraea* eſt planta viſcida, radix fibroſa, folia radicalia congeſta, quinquefida vel trifida, aut dentata, calyce pilis globuliferis adſperſo. *Cheiranthus eryſimoides* ſtylo breuiſſimo bifido inſtruitur, plantaque eſt, praeſertim caulis inferne et margo foliorum maiorum ſubtomentoſa. Ad *Fucum rubentem* putat referendum eſſe *Fucum* STROEMII in act. ſoc. Hafn. X. p. 254. t. I. f. 4. deſcriptum. De *Vlua pruniformi* notat, eam figura variare, ſaepe eſſe proliferam, vel liberam in ſumma aqua fluitare, vel conferuis aut corallinis adhaerere; intus cauam, pilis vel in centro, vel ad latus colleſtis, recente pulpa viſcida farctam, in quae granula vix conſpicua: cutem eius exteriorem fuſcam vel nigram, coriaceam, eſſe, eamque propter has qualitates potius ad *Fucos*, quam *Vluas* referri debere.

p. 2.
p. 29.
p. 46.
p. 53.
p. 61.
p. 69.
p. 89.

De *Ornithogalo minimo*, dubitat, an vera ſit ſpecies, an varietas *lutei*.

p. 147.

De dubiis plantis, vel quae a LINNAEO nondum receptae ab aliis vero iam deſcriptae ſunt botanicis, vel quas Auctor ad aliud genus, aut aliam ſpeciem retulit, haec deligere placet: *Rumicem dubium* dicit, quem Cl. BOEHMERVS in flora Lipſienſi no. 576. floribus hermaphroditis, ad alas foliorum conglomeratis, foliis lanceolatis, integerrimis definit, et a Cl. SCHREBERO in ſpicilegio Florae Lipſ. iure

p. 26.

iure *glomeratus* dicitur: qui character florum conglomeratorum ſemper conſtans et a nobis obſeruatus plantam hanc extra omne dubium ponere videtur. Ad *Gentianam ciliatam* tanquam varietates
p. 88. refert Noſter, quae margine ſerratae ſunt, alteram-
p. 101. que corolla quadrifida depictam tradit; altera eſt *ſerrata* corolla quinquefida, infundibuliformi, foliis oblongis, OED. *fl. Dan.* VI. t. 317. Atque monet, rationem, cur hae varietates cilia marginalia corollae vel nulla vel adeo parua et mutata habeant, a frigidiore climate petendam eſſe. *Vluam ſoboliferam*
p. 105. OED. *fl. Dan.* VI. t. 356. ad *Fucum ramentaceum* LINN: *Conferuam ſquarroſam* OED. ib. t. 357. ad
p. 106. *Fucum lycopodioidem* LINN. pertinere putat. *Draba Noruegica* OED. *fl. Dan. t.* 143. vel noua eſt ſpecies, vel *Drabae hirtae* LINN. varietas. *Fucus*
p. 104. *pinnatifidus* HVDSONI *angl.* 473. et OED. *fl. Dan.* VI. *t.* 354. non differt ſpecie a *F. dentato* LINN.

Ex obſeruationibus medicis, oeconomicisque, has referamus, omiſſis, quae Cl. Auctor ex aliis
p. 3. ſcriptoribus commemorat. *Zoſtera marina* ad ſalparandum inſeruit, eiusque ſalſugine piſces con-
p. 5. diuntur. *Boletum fomentarium* moxae inſtar partibus corporis laborantibus, ſtomacho et pectore ex-
p. 10. ceptis, applicant Lappones. *Fucus filum* bobus gratiſſimum et ſalutare praebet pabulum. Decocto *Verbaſci Thapſi* Dali Nidroſienſes in phthiſi hominum boumque vtuntur. Folia *Betulae nanae* a
p. 28. Noruegis ad colore luteo tingendum adhibentur.
p. 55. *Lichen vulpinus* luteo tingit. *Peziza auricula* ad anginas et ophthalmias laudatur, macerata, et lin-
p. 130. teo inuoluta, oculis inflammatis imponitur. *Aphanes aruenſis* vi diuretica inſigni inſtructa dicitur.

XIII.

Faſciculus obſeruationum botanicarum, Auctore ANDERS IOHANN RETZIO Phil. Mag. Hiſt. Nat. Adjunct. et Bot. Demonſtr. Reſp. *Magno Guſtaf Stahlſtedt*, Holmienſi Stipendiato regio, Lundini d. XXIII. Mart. 1774. 43 ½. plag.

In introitu Cl. Auctor de vſu obſeruationum in re herbaria breuiter diſſerit, laudatque ſtudia virorum, qui, ad augendum botanicae ambitum, itinera ſaepe moleſtiſſima inſtituerunt. Quibus praemiſſis obſeruationes LXIX. tradidit, quarum plurimae locos natales plantarum rariorum in Scania indicant, vt Pulmonariae officinalis folio maculato, maritimae, Chenopodii ambroſioides, Bupleuri tenuiſſimi, Alismatis ranunculoidis, Ranunculi reptantis hederaceique, Cardamines paruiflorae, Geranii phaei et paluſtris, Geniſtae germanicae, Viciae caſſubicae, et aliarum multarum, quarum notitiam Scanico praeſertim botanico vtilem iudicamus, vt, vbi colligere poſſit, ſciat.

Reperiuntur vero hoc in faſciculo non paucae obſeruationes exteris quoque botanicis vtiles ac praeſtantes: quarum nonnullas exempli loco afferamus.

1. *Circaeam Lutetianam*, caulibus nonnunquam piloſis, calyce viridi apice rufo, racemo ſaepe ſolitario praeditam deſcribit, at 2. *alpinam* caulibus glabris, geniculis rubris, calycibus albis apicibus rubris praeditis, petalis anguſtis, racemisque incertis numero definit. Etiamſi Lutetianam racemis plurimis deſcribat LINNAEVS, alpinamque ſolitario, qualem etiam noſtris in regionibus inuenimus. p. 7.

p. 9. 6. *Bromum giganteum* in horto academico cultum differre dicit a deſcriptione Scheuchzeriana, praeditumque eſſe glumis glaberrimis etiamſi Cl. WEIGELIVS glumas ſubhirſutas ipſi tribuerit, quales et nos in noſtrate reperimus. 7. Vnicam differentiam ſpecificam inter *Bromum ſterilem* ac *tectorum* in glumis quaerendam eſſe contendit: in *ſterili* enim glumas ſcabras, in *tectorum* vero piloſas ſemper ſe obſeruaſſe, profitetur.

p. 11. 16. Ill. HALLERVM in *Hiſt. ſtirp. Helv.* ex tribus iunci articulati varietatibus diuerſas effeciſſe ſpecies Cl. Auctor exiſtimat.

p. 12. 21. *Pyrolas* in Suecia ſtigmatibus diuerſis inſtructas eſſe docet, *rotundifoliae* enim incraſſatum, quinquedentatum, dentibus erectis acutis, *vniflorae*, idem eſſe, excepta magnitudine et figura: eſt enim peltatum, h. e. coroniforme; *minoris* rurſus eſſe peltatum, porro conuexum et quinquelobum; *ſecundae* inſuper poris 5. pertuſum, *vmbellatae* denique ſubſeſſile, magnum, orbiculatum, et in medio excavatum.

22. et 23. *Saxifragam hirculum*, ſe olim, ob folia piloſa, pro ciliatis habita et figuram Breynianam, cum S. *autumnali* confudiſſe tradit. Accuratior vero obſeruatio et ſecundae Mantiſſae p. 383. inſpectio ipſum vera docuerunt. Tomentum in ſummitate pedunculi et ipſe obſeruauit et BREYNIVS, ROSENBLATTVS, OEDERVSque ante ipſum; quo vero non ſemper induci HALLERVS et GMELINVS obſeruarunt, qui plane tomenti mentionem fecerunt nullam. Ill. HALLERVS eam caule vniflоro praeditam eſſe tradit; quem tamen characterem admodum variare Noſter teſtatur. Characterem vnicum S. *hirculi* in foliis ciliatis, radicalibus lanceolatis,

tis, caulinis lineari lanceolatis, poſitum eſſe contendit. Characteres vero *S. autumnalis*, quos SCOPOLI adducit, omnes in *S. hirculi* foliis reperiri dicit. In *S. aizoidis* foliis deſcribendis nullam mentionem ciliorum ſeu potius aculeorum fecit LINNAEVS, ſed ea nuda atque inermia deſcribit; quos tamen vidit Cl. Auctor. Subſcribit ſententiae HALLERI, IACQVINI et WILLICHII, qui has tres ſpecies pro varietatibus habent.

28. *Spergulam ſaginoidem a Stellaria biflora* ſtylis 5. abunde differre Cl. Auctor refert. Iconem OEDERI, de quo Cl. GOVAN dubitat, ad vtram referat plantam, auctoritatem LINNAEI ſecutus ad *Spergulam biſloram* refert. p. 17.

30. *Roſam* deſcribit cum *ſemperuirente* quibusdam in characteribus conuenientem, cui tamen figura ac deſcriptio DILLENII non reſpondit. In loco pingui, ſi colitur, fructus fert glaberrimos, in minus pinguem vero ſi transplantata fuerit, fructus hiſpidos protrudit. p. 18.

40. Plantam deſcribit, quam neſcit vtrum *Moluccellae*, an *Praſii* an *Meliſſae* ſpecies ſit. Stamina enim et piſtilla conueniunt cum *Meliſſae*, calyx cum *Moluccellae*, facies tota cum *Praſii*, odor cum eo, quem *Dracocephalum Moldauica* ſpargit, ſimilitudinem habet. p. 20.

55. Monet, ne varietas *Bidentis tripartitae*, quam *pumilam* dicit, pro *Bidente minima* habeatur, quarum prior radice ſimplici, foliis ſerratis, calycibus folioſis, foliolis plurimis praedita ſit, altera vero radice repente, foliis aut integris aut crenatis, foliisque calicis ſolum duobus gaudeat. p. 25.

56. 57. *Tuſſilaginem albam* et *ſpuriam* deſcribit, quarum poſterior nuſpiam deſcripta ſit.

XIV.

Compendium Botanices, ſyſtematis Linnaeani conſpectum eiuſdemque applicationem ad ſelectiora plantarum Germaniae indigenarum vſu medico et oeconomico inſignium Genera eorumque Species continens. Auctore CHRIST. FRID. REVSS. Med. Doct. et Prof. Publ. in Alma Eberhardino-Carolina. Vimae, ſumtu Stettiniano: 1774. pagg. 445. praeter praef. et indices. Tabb. aeneae X.

Etſi liber, cuius mentionem breuem facere propoſuimus, noui nihil contineat, quod partim ex libri ipſius cum aliis comparatione, partim ex tertia praefationis plagula diſci poteſt, niſi forſan exemplorum plurimorum accuratiſſimorumque ad ſingulos terminos commemorationem, terminorumque Linnaeanorum Germanicam verſionem, pro nouis in eiusmodi libro habere voluens: tamen cum terminos fere omnes paſſim diſperſos hic in vnum collectos reperias, non plane negligendum exiſtimamus. Cum enim plurimos inſtitutionum botanicarum libros conſuluerit, mirandum nullo videtur modo, quod et LIPPII et ELNGREENII *) de ſimili re, conatus multum ſuperauerit Cl. Auctoris ſtudium.

Cum ſtatim in libri initio ſyſtematis aliorumque generaliorum terminorum explicuerit notiones, breuem conciſamque botanicorum exponit hiſtoriam, quam, cum exſpectationi noſtrae non omni ex parte ſatisfaciat, non enim omnium hic leguntur virorum, in botanica clarorum, nomina, vix multam praeſtituram fore vtilitatem cenſemus. Huic deinde ſyſtematum quorundam ſubiungit accuratiorem diſ-

quiſi-

*) in Amoen. acad. Vol. VI. v. comm. noſtr. dec. II. ſuppl. I. p. 13.

quiſitionem, vt ipſe putat ſcitu maxime neceſſariorum RAII, BOVENI, HALLERI, LINNAEI ERXLEBENII, TOVRNEFORTIIque. Accurate quidem expoſuiſſe Noſtrum, pauca, quae commemorauimus, virorum ſyſtemata, concedimus lubentiſſime.

Tum ad delineationem plantae ſeu ad termi- p. 27.
nos in ſyſtematicam tabulam redactos, LIPPIVM ducem ſecutus, progreditur. Qua finita termino- p. 38.
rum ipſorum explicationem ſuſcipit. In qua tradenda ita verſatur Cl. Auctor, vti, ante ipſum, LIPPIVM verſatum eſſe ſcimus. In eo tamen LIPPII ſuperare videtur diligentiam, vt partim plurimorum terminorum Germanicas addiderit verſiones, ſi quidem his opus eſt, partim plures collegerit terminos, plantarumque adſcripſerit nomina, in quibus characteres reperire poterit tyro. Verſiones terminorum fere omnes nobis placent, non omnes vero vertit Cl. Auctor. Quod ad figuras attinet, in quibus terminorum in re herbaria vſitatorum exempla videre licet, eae quidem cum Linnaeanis Lippianisque conueniunt, ſunt vero partim compendioſiores, duarum enim tabularum figuras in vnicam vt plurimum congeſſit tabulam, partim quoque auctiores, tribus enim poſterioribus tabulis, praeter corollarum figuras florumque praecipuas partes, plantarum cryptantherarum quaedam genera exhibuit.

Poſt terminorum hiſtoriam, deſcriptionem ea- p. 163.
rum plantarum, quae vel in re medica adhibentur vel indigenae ſunt et genericam et ſpecificam non a ſe quidem inuentam, ſed a LINNAEO petitam, tradit. Cuius rei vero vſum, cum neque certae cuiuſdam regionis hic legantur herbarum nomina, neque deſcriptiones LINNAEI ſint emendatae, omnino exiguum eſſe arbitramur. Has plantarum definitiones p. 431.
ſpecialiora quaedam botanophilo obſeruanda excipiunt; quae quidem ex Phil. Botan. LINNAEI ſunt depromta.

XV.

D. IOHANN ERHARD TRAMPEL *Beſchreibung der Meinberger Mineralquelle in der Grafſchaft Lippe nebſt einem Sendſchreiben des Herrn* D. IOHANN FRIDERICH ZÜCKERT *vom Meinberger Mineralwaſſer zum innerlichen und äuſſerlichen Gebrauch. Zweite vermehrte Auflage mit Kupfern. Lemgo. In der Meyerſchen Buchhandlung* 1775. 8. *Seit.* 160.

i. e.

IOANNIS ERHARDI TRAMPEL deſcriptio aquarum mineralium Meinbergenſium in comitatu Lippenſi. Accedit IOANNIS FRIDERICI ZÜCKERT epiſtola de iiſdem aquis earumque interno et externo vſu.

In prooemio Cl. Auctor hiſtoriam fontis, ſimul eius dimenſionem et quantitatem aquae contentae, tam fontis illius, qui balneis, quam qui potui deſtinatus eſt, tradit. Praepoſita eſt libro epiſtola Cl. ZÜCKERT, ad Cl. Auct. in qua experimenta narrantur, quae cum aqua fontana Meinbergenſi inſtituit, ex quibus probat huic aquae immixta eſſe terram calcaream, ſelenitem, natrum, martem et ſulphur. Priorum quantitas ita ſe habet, vt in menſura aquae ſint natri et ſelenitae ana gr. IV. terrae calcareae gr. IX. et martis gr. VI.

p. 32. Secundum claſſificationem hanc aquam profitetur ſalino ſulphureo ferrugineam. Inprimis per hanc epiſtolam Cl. ZÜCKERT demonſtrat, quod huic aquae verum et ſubſtantiale ſulphur immixtum ſit: quod haec aqua, partim ob copioſum vaporem, partim ob ſulphur, tanquam aqua minerālis frigida, ſui generis vnica ſit in Germania, omnesque

que poſſideat virtutes, quas aqua ſulphureo ferruginea habere poſſit.

Cl. TRAMPEL in initio ſui ipſius opuſculi obſeruationes nonnullas communicat. Nempe in fodiendo fonte ingentem obſeruauit copiam granulorum, argenti inſtar ſplendentium, qui omnibus in lapidibus et terris argillaceis inuenti ſunt. Qui, ſi pluuiae caderent, incaluerunt, odorem ſulphuris ſparſerunt, et in minores ſeſe diſiunxerunt. In fundo fontis, motum tremulum et murmurantem, et ex rimis et aperturis calorem partim per ſe, partim cum aere et aqua ſimul prouenientem ſenſit. Volatilis euaporatio antea non viſa, ex fonte animaduertitur: haec vltra tertium pedem ſupra aquam aſcendit et primo gratum et oleo vini ſimilem, ſed mox poſtea non tolerandum odorem ſpargit, lacrymas elicit, effectusque ſpiritus ſalis ammoniaci ſimiles prodit. p. 45.

Vapor, ſi ipſi iuſto propius appropinques, ſuffocat. Si quis fonti prope accedit, calorem ſentit, qui et in ſummo frigore ſudores elicit ſenſumque in partibus inprimis genitalibus efficit. Quicquid argentei feras, ſaepius fonti accedendo nigreſcit. Vaſa vitrea, ſi ex iis per aliquot dies bibitur, colorem flauum induunt. Ferrum vapori expoſitum rubiginoſum euadit. Flamma vapore extinguitur. Puluis tormentarius ad fontem in ſolum ſparſus et a candente ferro non mox accenditur. Si fumus nicotianae ibi attrahitur guſtum, vapor primum in dulcem ſuauemque, poſtea ſenſim in amarum et exſiccantem mutat, et nicotiana iam exſtincta fumus editur. In ſepimento fontis multos pruinae inſtar floccos, tactu lubricantes, videas. Color aquae ad fontem ipſum clarus pellucidusque eſt, neque ipſa congelationem admittit. Si bibas, odorem ſpirituoſum et ſenſus obnubilantem ſenties. Si p. 52.

balneis vtaris, aquae ſaponaceae ineſſe putes, et vapor ex balneis aſcendens, aues, ſi in hypocauſto ſunt, ſuffocare valet.

p. 55. Multa etiam experimenta cum aqua hac inſtituit Cl. Auctor. In libra eam ponderauit eiuſque pondus aquae pluuiali aequale fuit. Si autem cum hydrometro experimentum inſtituas, pondere aliam ſuperat aquam, hic enim in aqua Meinbergenſi aſcendit, in ſimplici ſubmergit. Si hanc aquam coelo exponas aperto, in vaſe plano cuticula ſupra naſcitur verſicolor, tactu pinguis, quae a metallicis recrementum ferri (*Sinder*) dicitur: Aqua haec, quoad colorem, tacti ſenſim ſimilis fit et flauum quoddam ex eo ſecedens firmiter vaſi adhaeret; in calore haec ſeceſſio acceleratur, ſed contra in frigore. Quo maior caloris gradus, eo copioſior aër ex aqua aſcendit: Poſt ſeceſſionem iſtam aqua communi ſimillima eſt. Cuticula iſta pinguis collecta in nitrum fluidum ſparſa multas producit ſcintillas. Granula ſupra commemorata argenti inſtar ſplendentia odorem ſulphuris ſimulque flammam igni expoſiti edunt.

p. 57. Flocci iſti, qui ſepimento fontis ſe apponunt, ſimilem odorem igni aperto traditi ſpargunt, flammamque oſtendunt et per ſublimationem veros flores ſulphuris ex iis obtineas. Hi flores, ſi cum ſale tartari funduntur, hepar ſulphuris relinquunt, ex quo in aqua ſoluto, affuſo aceto, puluis albus praecipitatur, lac ſulphuris dictus.

p. 58. Vaſa ſupra memorata vitrea, quae colorem flauum induerant, carbonibus impoſita odorem ſulphureum ſpargunt et poſtea pellucida iterum euadunt. Linteum, quod, vel in ipſam aquam, vel ſupra eam

eam ſuſpendeas, odorem ſulphureum accipit, qui combuſtione augetur. In vaſe clauſo haec aqua ſi deſtillatur deſtillatione finita rancida euadit, et inter hanc color mutatur in lacteum, flauum quoddam ſecedit, eaſdemque oſtendit mutationes, quas ſi coelo aperto exponas. Si aquam in vaſe aperto euapores, remanet materia fuſca ex flauo rubicunda, intermixta albicante et quaſi nitente. Librae quindecim aquae poſt euaporationem centum et octoginta grana terreni relinquunt, quibus grana quadraginta puri ſalis immixta ſunt. Si acidi vitrioli nonnullas guttulas in illam ex flauo rubicundam materiam ſtillas, efferueſcentia naſcitur, fundi poteſt, attrahiturque a magnete. Coquendo ſpuma ſupra aquam naſcitur alba, quae, ſi exſiccatur, magneſiae ſimilis eſt et oleo vitrioli inſtillato efferueſcit. Sal, lenta et adhibitis cautelis inſtituta euaporatione obtentum, tartaro vitriolato minus amarum eſt et a Cl. ZÜCKERT pro natro ſiue ſale amaro habetur. Color aquae, quae vel in lagenis aſſervata vel aëri fuit expoſita, a nonnullis acidi ſulphuris vel vitrioli guttulis inſtillatis iterum clarus pellucidus atque naturalis euadit. Spiritus minerales p. 61. acidi, vti ſulphuris et vitrioli, quaſi fermentationem in aqua efficiunt; nihil autem mineralis praecipitant, ſed aquam, vti modo dictum eſt, claram conſeruant. Salia autem alcalia v. c. cineres clauellati, cet. aquam mox ſubnubilam minuſque pellucidam reddunt. Sacharo ſaturni illato, aqua mox albeſcit et lacti ſimillima fit, ſimulque inſpiſſatur et ſenſim praecipitatur, praecipitatum colorem glaucum aſſumit. Gallarum puluere admixto, aqua colorem in purpureum tandemque nigreſcentem mutat. Syrupo violarum admixto color ferrugineus huius, viridis et per ſolutionem Laccae (*Lakmus*) ruber euadit. Lac aquae infuſum non in

in coagulum abit Extra fontem argentum aquae impoſitum nunquam nigreſcit.

p. 62. Horum phaenomenorum nonnullas declarationes Auctor addit. Motum tremulum, calorem, vaporem odorum a ſulphure in alto fontis contento deriuat. Aër enim, inquit, per ſe facultate gaudet pyrites intrandi eorumque nexum diſiungendi; hoc ab aqua illos humectante iuvatur: particulae martiales ſulphureaeque tunc alternatim in ſe agunt, triturant ſe atque calorem et fermentationem ſubterraneam producunt, quae pedibus tremulum et auribus murmurantem motum imprimit. His multae particulae ſulphureae volatiles redduntur auolantque: quum autem in auolatione impediuntur colligunturque, vaporem ſiſtunt. Vapores ſulphurei valent aſperam arteriam ſpaſtice contrahere, ſuffocationem efficere et aërem attenuare. Spiritus ſulphuris volatilis et aëreum quoddam ſolum faciunt vinculum partes minerales huius aquae arcte coniungens, valentque omnem corruptionem ſimulque congelationem ab aqua amouere. Quoniam acidum vnicum eſt remedium omnem materiam pyritum, qui ex ſulphure ferro et lapidea materia conſtant, ſoluendi, clarum eſt aquae noſtrae acidum ineſſe. Alcali copia ſua acidum antecellit, quod ex experimentis cum ſyrupo violarum cet. probatum eſt: igitur ſal medium Glauberiano ſimile oriri debet, ſi volatili acido minerali tempus ſat longum eſt cum alcali in aqua contento coniunctionem ineundi. Puluere gallarum color aquae purpureus euadit et tandem atramenti inſtar niger: et terra ſine addidamento fuſa magnetem ſequitur, ergo ferruginea et iure ſpirituoſo ſulphureo ſalino martialis aqua noſtra dicenda erit.

De

De effectibus aquae Cl. Auctor ſequentia verba p. 75.
facit. Alcali, quod aquae ineſt, vim abſorbentem, viſcidum diſſipantem habet, quae ſe tam in primis, quam ſecundis viis exſerit. Eandem virtutem terra aquae immixta alcalina habet, quae, ſi acidum in ventriculo reperit, in ſal medium tranſit, et vim laxantem accipit. Alia, quae ſali alcalino in genere propria ſunt, et ab Auctore commemorantur, omittimus. Sal medium etiam huic aquae ineſt, inde diſſipans, aperiens, irritans, leniter laxans atque euacuans eius vis. In cachexia, ictero, aliisque morbis a bile male affecta ortis medicamentum efficax eſt: porro in ſuſurro aurium et cum hoc haud raro coniuncto graui auditu. In omnibus morbis, qui acidum et viſcidum copioſum in primis viis et glandulis meſaraicis pro cauſa agnoſcunt efficax eſt, v. c. anorexia, atrophia.

Imprimis efficax eſt in ſpaſticis et aliis multo p. 80.
dolore coniunctis morbis, qui a viſcido tenace, ab acrimonia ſanguinis vel obſtructione minimorum vaſculorum praeſertim ſanguiferorum orti ſunt, e. g. in arthritide, hyſterica paſſione, fluore albo, obſtructis haemorrhoidibus, hypochondriaco malo etc. Haec vis antiſpaſmodica augetur, ſi aquam paululum tepidam bibas. Tanquam aqua martialis corpori robur ſimul cum elaſticitate reddit. Morbum non modo tollit, ſed etiam recidiuum impedit. Tanquam aqua ſulphurea et igitur ſaponacea emolliens eſt, quae vis praecipue ſe exſerit, ſi balneis vtimur. Euaporatio vim ſanguinem reſoluentem eiusque motum accelerantem habet. Prodeſt ſubiectis, ſanguinis ſpiſſitudine, impedito naturali ſanguinis effluuio, colica, vitio incognito vterino, vlceribus et ſic porro laborantibus. Nocet imbecillibus ad haemorrhagias procliuis, et iis, qui morbo quodam pectoris laborant.

Vbi

Vbi haec euaporatio per ſe intrare nequit, ea modo clyſmatis duci poteſt.

p. 97. Effectus enarratos per experientiam Clar. Auctor probat, cuius varia ſpecimina nobiſcum communicat.

Puella quaedam vlcere phagedaenico laborans per vſum tam externum, quam internum aquae ſana euaſit.

Ruſticus vlcere in calcaneo affectus, ex quo iam oſſium ſedecim fragmenta prodiere, intra octo hebdomades eodem aquae vſu ſanatus eſt.

Praefectus quidam militum, ob gonorrhaeam male curatam, per multos annos aegrotans, tam balneis, quam potu et euaporatione vtebatur: breui bubones prodierunt, quibus ad ſuppurationem deductis conualuit. Alius, qui mercurio abuſus fuerat, valde aegrotabat: cuius, poſtquam per aliquod tempus aqua vſus fuerat, annulus aureus in digito quoad colorem argenteus euadebat; etiam conualuit.

Femina diu innormi menſium profluxu laborauerat; huic, omni medicina fruſtra adhibita, haec aqua ſalubris fuit. Alii ſimili malo affectae aqua cum optimo ſucceſſu in ipſum vterum iniecta eſt. A gutta roſacea alia vſu huius aquae liberata eſt. Femina quaedam pertinaci narium obſtructione et cephalalgia conflictata, in attractione vaporis et vſu aquae medicamen inuenit. Surdus quidam vſu tam euaporationis, quam ipſius aquae in priſtinam valetudinem rediit. Pedum vſu quidam ſimul et tactu priuatus intumeſcebat: ita ad fontem noſtrum confugiens ſaluberrimmum in eo inuenit remedium. Nobilis quidam elephantiaſi laborans ſanus euaſit.

Femina

Femina quaedam robuſta, ſana atque in optimo aetatis flore; iam quatuordecim annorum maritum duxerat, nunquam autem grauida fuerat; haec, cum per duos annos fonte vtebatur, concepit atque deinceps plures infantes peperit. Virgo fluxu menſium amiſſo cachexia laborabat; vterque morbus vſu aquae ceſſit.

De modo bibendi aquam, Cl. Auctor loquens haec praeprimis monet: quod nemo ſine medici conſilio aqua vti debeat. Et prae reliquis hoc de iis valet, quibus vitium in viſceribus qualecunque eſt. Mane et verſus veſperam bibendum eſt: nocet verſus tempus meridiei. Aqua frigida quoad effectum antecellit tepefactae. Quantitas aquae bibendae a libris duabus ad ſex et vltra accumulatur pro corporis diuerſo habitu. Cum lacte ſi vtaris aqua, eius vires augeri videas. Quoad medicamenta, quibus durante cura vtendum ſit, haec circiter Cl. Auctor ſuadet. Exemplo nempe WERLLHOFII et BRENDELII vſum rhabarbari commendat. Carminatiua diſſuadet, item reſinoſa et gummoſa purgantia. Potiſſimum laudat medicamenta huic curationi adaptata a Viris Cll. GONDELA et DUNTZE, quae nomine pilularum aperientium Bremenſium et elixirio amaro Bremenſ. in officinis Meinbergenſibus et Pyrmontanis venduntur. p. 111.

Balnea haud raro in cute quoddam purpurae ſimile producunt, quod bonum cenſendum. Aqua balneo deſtinata temperata eſſe debet. Gelida cante vſurpanda eſt. Iis imbecillibus, quibus balneo vtentibus animi deliquium imminet, nonnihil Theae calidae ſeu vini praeberi licet. De balnei vaporoſi effectu omne id valet, quod de balnei calidi. Per vſum balnei aquoſi praeparatio ad vaporoſum fieri p. 131.

fieri poteſt: quadrans horae ſufficit ad huius vſum. Balneum vaporoſum ſiccum, optime mane et veſperi adhibendum, quoniam hoc tempore fons inprimis vaporem mittit. Euaporatio vltra quartum pedem nunquam aſcendit, igitur illuc, vbi malum abſconditum eſt, per Syringam ducitur.

p. 143. Diaeta, quam praeſcribit Cl. Auctor ea eſt, quae a Cl. ZÜCKERT in ſyſtemate omnium fontium Germaniae commendata eſt.

p. 155. Subnectit tandem Cl. Auctor libello ſuo deſcriptionem regionis Meinbergenſis et aedificiorum ad fontem ſitorum.

XVI.

Beſchäftigungen der Berliniſchen Geſellſchaft Naturforſchender Freunde. Erſter Band. Mit Kupfern. Berlin, bey Ioachim Pauli. 1775. 8. 1 *Alph.* 10 *Bog.* 9 *Kupfertaf.*

i. e.

Acta Societatis Berolinenſis naturam ſcrutantium amicorum. Volumen I.

Maximopere laudando inſtituto Phyſicorum celebrium Berolinenſium, nuperiori congreſſu, cuius rationem non diu abhinc dedimus *), obſeruata plurima naturae cognitionem illuſtrantia, tribuenda ſunt, quae hoc volumine eduntur. In quo praeterea a Cl. MARTINI, qui, vt iam ſupra dictum, ſocietati eſt a ſecretis, vberius origo, inſtituti finis, numerus nominaque ſociorum et Berolinenſium, et exterorum Phyſicorum

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 142.

rum omni laude celebrium et feſta oratio, coram ſociis die, quo annuum inſtitutum celebrabatur, habita, traduntur. Tractatus vero ipſi ſunt hi:

1. *Deſcriptio inſtrumenti, apti ad metiendas vi-* p. 1.
ſibiles diſtantias in coelo, Auctore IOANNE ELERT BODE; vtilis aſtronomis, illuſtrata iconibus.

2. *De vi electricitatis comparata cum grauitatis* p. 53.
vi, Auctore FRANCISCO CAROLO ACHARD. Omnibus hactenus inſtitutis experimentis tres tantum proprietates corporum electricorum eſſe demonſtratas, ait, nempe 1) attractionem, quae inter corpus electricum et non electricum, vel inter corpora, diuerſo gradu electrica locum habet: 2) repulſionem corporum, pari gradu electricorum; 3) lumenque, quod appropinquatione duorum corporum, excitatur, ſi alterum magis eſt altero electricum: Ex his proprietatibus, ſi addatur modus, quo corpus electriſetur, et mutatio, quodam caloris gradu in corporibus primitiue electricis facto, cauſa electricitatis declarari poterit. Sed ad vim p. 62.
electricitatis recte conſiderandam opus eſt electrometro, quod ſimplex ſit, atmoſphaerae mutationibus non obnoxium, gradus et perparuos, et permagnos electricitatis indicet, neque certae menſurae ſit adſtrictum, atque vim electricam denotet per aliam iam cognitam, e. g. vim grauitatis. Iam oſtendit omnia hactenus inuenta et fabricata electrometra carere vna vel altera harum proprietatum atque ideo illud, quo Cl. GRAY, DU FAY, et NOLLET vſi ſunt, tamquam optimum ex reliquis emendare conatur. Correctiones eo redeunt, vt loco fili linei, filum ex orichalco paratum adhibeatur, eique globus leuiſſimus ex terra ſigillata Weſtphalica, tamquam huic fini conuenientiſſima, paratus

ratus adiungatur, ſicque *pendulum electricum* fiat, quod aeneo aſſeri per hamulum appendatur: atque ita fiet, vt electriſatus aſſer pendulum repeliat, ex cuius repulſionis gradu vis electrica aeſtimatur. Plura, quae ad obiectiones refellendas proponit, per breuitatem omittere cogimur, et notamus tantum ad metiendum angulum eleuationis etiam inueniſſe Cl. Auctorem inſtrumentum, quod *chordometrum* hic depictum et deſcriptum tradit. Vim
p. 77. electricam nihil aliud eſſe dicit niſi differentiam elaſticitatis fluidi electrici, quod corpus electricum continet, et quo etiam alia corpora circumdat. Atque, ſi electrica materia elaſticae naturae eſſe adſumatur, ſententias EVLERI et FRANKLINI combinari poſſe putat.

p. 112. 3) EIVSDEM *de calore et frigore, per euaporationem variorum fluidorum excitatis, tractatio.* Cum hactenus experimentis quibuſdam probatum eſſet, quaedam fluida vel calorem vel frigus producere, non tamen vel gradus eorum, vel plura fluida, hunc in finem diſquiſita eſſent: Noſter ſatis magnam diuerſorum fluidorum copiam curate diſquiſiuit, atque hic prius recenſet modum, quo inſtituerit et inſtituenda ſint haec tentamina, quam euenta eorum exponat. Sumſit vero ad ducenta fluida, vt aquas deſtillatas, et ſpiritus et eſſentias ſpirituoſas, vina, ſalia ſoluta varii generis, oleaque, eaque hic in tabula, ſimulque thermometri rationem, ante experimentum, deinde mutationem poſt illud in ſingulo curate indicat.

p. 116. Ex his experimentis patet ſolum oleum vitrioli, et ſpiritum nitri fumantem euaporatione calorem in thermometro, reliqua omnia frigus excitaſſe. Quod ex cognatione, quae haec concentrata acida et aquam intercedit, quae mixta ſecum calida fiunt

explica-

explicari dicit. Eſſe enim in aëre vapores aqueos, qui cum acido iuncti hunc calorem producant. Ex reliquis fluidis ea maiorem frigoris gradum excita- p. 130.
runt, quae citius euaporarent, quae tardius, minorem: ſic aether vitrioli omnium citiſſime auolans, ſummum frigus produxit; oleum oliuarum, quod vix ſenſibili modo auolat, vix quidquam mutauit thermometrum. Cauſſam huius phaenomeni, quod nihil ſit niſi commixtio particularum volatilium cum vaporibus aqueis, in aëre diſperſis, ignotam eſſe fatetur: non vult enim materiam quandam frigefacientem ſtatuere, neque FRANKLINI hypotheſin, ſecundum quam nonnulla corpora facilius, alia difficilius ducant ignem, certam, etſi forte aliquando probabilem eſſe ait.

Denique vſum, qui in eo conſiſtit, vt, pro lubitu, p. 133.
corpora calefieri et refrigerari poſſint, breuiter commemorat. Similem fere tractationem, ſimilesque cogitationes Auctore Cl. BRAVN, cum iam tradita eſſet ſocietati haec diatribe, deprehendit Cl Auctor, in tomo X. commentariorum Acàdemiae Petropolitanae *).

4. *De epidemica maligna febre inflammatoria* p. 138
equorum, Auctore Cl. ZÜCKERT. Primo de ſymptomatis, deinde de cauſſis huius morbi agit. Menſe Anguſto anni 1775 morbus paſſim in circulo *Teltowiano* ortus eſt, qui in quibuſdam equis incipiens tandem in epidemicum mutabatur, multosque equos interimebat. Symptomata illico, absque praegreſſis indiciis morbi apparebant: ſtatim inſanire incipiebant equi, conuulſiones illos atrociter conuellebant, ita, vt hinc inde iactarentur, reſpi-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 142.

reſpiratio eorum ſtertoroſa et anxia, halitus foetens, os conſtrictum, vt nihil vel pabuli, vel potus admitteretur. Vrina copioſe, ſed colore ſolito, neque foetens excernebatur. Foeces, plerumque naturales, in nonnullis erant mucoſae. Sudor profuſus, praeſertim ſi morbus in mortem finiebatur: atque tum palpitatio cordis tanta, vt etiam eminus audiretur. Plerumque poſt 24 dies, interdum altero, vel tertio die moriebantur equi; qui autem iterum ſaneſcebant, octo aut quatuordecim dies aegrotabant.

p. 141. Apertis cadaueribus, inueniebantur: trachaea ſicca et muco tenaci, in membranam coalito obſeſſa; pulmones, hepar et lien, nigra, putrida, pureque plena; ſanguis, vel viuis equis ex venis miſſus, vel poſt mortem in venis ſtagnabat, niger, tenax, piceus; cor congrumato nigro ſanguine, pericardium foetente ſero repleta; ventriculus et inteſtina fere vacua; cerebrum molle, ſubputridum et ſinus capitis ſanguine putrido pleni.

p. 143. Cauſſam huius morbi in pabulum, putrida aqua madidum, vel rore noxio, vel muco, vel limo tectum ponendam eſſe demonſtrat Cl. Auctor.

p. 147. Addit oleum vitrioli in hoc morbo egregie iuuaſſe, et potiorem curam in praeſeruatione, ceu correctione pabuli, quaerendam eſſe.

p. 152. 5. *Obſeruatio ſingularis cuiuſdam exploſionis in nonnullis Clauariae ſpeciebus, !facta a* Cl. OTHONE FRIDERICO MÜLLER. Eam intelligit Cl. Auctor hic proprietatem, qua proprio elaſtico motu, absque cauſſa externa, nonnulli fungi minores particulas ſeu puluerem ex ſuperficie explodant. Differt haec exploſio ab ea, quam MICHELI, HALLERVS, GLEDITSCHIVS in Agaricis obſeruauerunt, etſi cum ea quaedam ſimilia habet, potiſſimum in

eo,

eo, quod haec a Cl. Auctore primum in *Clauariis* obſeruata exploſio, per pulſus, fere continuo fiat. Refert Cl. Auctor quaedam exempla prioris, atque deinde confirmat obſeruationem MICHELI, in *Lycoperdone Carpobolo* factam, quod pluuioſo tempore globulum per parabolam proiiciat et dein claudatur.

Obſeruauit vero hanc exploſionem primo in *Clauaria militari*, quae ſolis putridis inſectis innaſcitur*), et cuius elegantem iconem dedit in Florae Danicae faſciculo vndecimo; quem cum reliquis proxime indicabimus. Altera eſt *Clauaria ſpatula* Cl. Auctoris, ibidem quoque depicta, quam ſolus SCHAEFFERVS nomine *Elueliae clauatae* **), commemorauit. Tertia eſt *Cl. Ophioglosſoides* LINN.

In *Clauaria militari*, ſi ad longitudinem diſſecatur, tota ſuperficies ex minoribus cellulis apparet compoſita, quas corpus conicum, papillas ſuperficiei formans implet. Ope ſimplicis lentis microſcopicae vidit ex his papillis filiformia corpuſcula exire, quae ſerpentino modo libere mouerentur, et partim in fungum iterum reciderent, ita, vt idem, aliquo temporis ſpatio praegreſſo, mucore vel lanugine obtectus videretur; alia in orificiis papillarum haerebant, alia iterato motu egredi nitebantur; atque cuncta, dum exeunt, ad pollicem vſque a claua diſſiliunt. Cum has fibrillas, curatioris diſquiſitionis inſtituendae cauſſa, vitro plano imponeret Cl. Auctor: eaedem coibant in fila, atque telam, goſſypio ſimilem, conſtituebant. p. 159.

Ex *Clauaria ſpatula* ſimilia corpuſcula, punctulis albis ſimilia, prodeunt, quae vero microſcopii p. 163.

*) vid. Nou. Act. acad. natur. curioſ. Tom. IV. comm. noſtr. Vol. XX. p. 444.

**) vid. EIVSD. hiſtor. fung. tab. 159.

p. 164. ope fibrillis *Cl. militaris* ſunt ſimilia. In *Cl. ophioglossoide* tota ſuperficies tubulis minimis obſeſſa eſt, ex quibus quoque corpuſcula, bacillos truncatos ſub microſcopio repraeſentantia prodeunt, quae, cum egrediuntur et ſolis radiis exponuntur, ſcintillis nitentibus ſeſe circa fungum volutantibus et in eum recidentibus ſimilia ſunt. Haec non coeunt in telam, vti priorum ſpecierum fibrillae.

p. 166. Hae fibrillae et bacilli ſepoſita, vel aquae immiſſa, non mutabantur, neque vitae ſigna prodebant. Fibrillae, euaporata aqua, quoque diſparebant, et aqua ſuperfuſa in moleculas variae magnitudinis cryſtalliſabatur; bacilli vero non mutati remanebant, et aqua ſine cryſtalliſatione euaporabat.

Multas quaeſtiones de hoc phaenomeno notatu digniſſimo proponit, ad quas vero nihil certi reſponderi poteſt. Similia haec corpuſcula eſſe ait iſtis fibris, quae radices fungorum habitae ſunt, et forſan ex his ſponte ſe mouentibus moleculis naſcuntur. Quicquid ſit, hoc tamen phaenomenon, vti etiam obſeruatio liberi Baronis DE MÜNCHHAUSEN *), aliam de fungorum generatione poſtulare theoriam Cl. Auctori videntur.

p. 170. 6. *Additamentum ad hiſtoriam naturalem Mergi ſerratoris*, LINN. Auctore IOANNE BECKMANN. Correctior datur eiuſdem deſcriptio. Roſtrum fuit rubrum, nares lineares, in ſingula ala tantum vna ſtria nigra, tranſuerſa, pectus et tectrices alarum alba, pedes rubri. Praeterea vitia iconum de hac aue datarum corriguntur.

p. 177. 7. *Termes fatale* LINN. curatius definit l. c. FABRICIVS. Iam ſupra **) indicauimus Cl. Auctorem

*) Quam propoſuit in libri vtiliſſimi, *der Hausvater* inſcripti. Tomo II. p. 134.

**) vid. hui. Volum. P. II. p. 201.

rem proprium genus, medium inter *Apem* et *Formicam*, ex *Termete* conſtituere: eiuſque hic vberiorem, quoad omnes partes, et elegantem dat deſcriptionem.

8. *De terra farinoſa, quae in muco vegetabilium, vt pars conſtituens, reperitur, et ex qua ſeparata amylum paratur, agit Ill.* IOANNES GOTTLIEB GLEDITSCH. Expoſitis generatim partibus conſtituentibus vegetabilium, terram duplicem farinoſam, aliam ſubtiliorem, aliam craſſiorem in multis vegetabilium mixtionibus reperiri oſtendit, ipſaque vegetabilia, hanc ob rationem, in duas claſſes diuidit: alia enim ſubtiliorem terram, copioſiori craſſiori oleo latentique acido ſali admixtam, continent, quo fit, vt ea, ſi aqua addatur, iterum lacteſcendo cum iis coeat, indeque difficilius ſeparetur, neque amyli loco adhiberi poſſit; multa vero vegetabilia, pauciore craſſi et pinguis olei copia, copioſiore contra dulci mucoſa, et farinoſa terrea parte inſtruuntur. Ad priorem claſſem omnes plantae, quarum ſemina nuce vel baccis ſunt contenta, palmae, papaueres, LINN. et cucurbitaceae referuntur: quae ideo melius, propter oleum, vel nutrimenti cauſſa, quam ad amylum, in vſum ducuntur. p. 181. p. 188.

Alterius claſſis mucilago praeterea, vti et terrea pars, multum ratione ſubtilitatis variant, atque haec plerumque tertiam partem ſeminis vel radicis plantae efficit, cui tamen acidi et phlogiſti aliqua pars quoque admixta eſt. Noſter tres ſpecies quaſi aſſumit, ſubſtantias 1) terreo mucilagineas, 2) glutinoſo terreas rudiores, 3) aqueo mucilagineas. Mucilago harum plantarum ſaepe adeo tenax eſt, vt ne aqua quidem ſolui poſſit; ideoque preſſione eius ſeparatio eſt adiuuanda; calidam enim aquam adhibere prohibent alia inde orta incommoda. p. 194.

commoda. Tali tenaci ſucco mucilaginoſo praedita ſunt *Symphytum*, *Caſſia lignea*, cortex *Viburni Lantanae*, *Ilicis Aquifolii*, *Vlmi*, *Tiliae* et ipſum *Viſcum*. Subtiliſſimae terreo mucilagineae ſubſtantiae, eaeque vt plurimum adhibitae, ſunt in radicibus *Salep*, *Orchidum*, *Satyrii*, *Erythronii*; ſemine *Cydoniorum*, et *Pſyllii*; et bulbis *Lilii*, vt et radicibus *Maluacearum* plantarum.

p. 201. Iam ad ipſum amylum conſiderandum accedit, atque eius antiquitate et variis nominibus, quibus vel ipſum, vel plantae, ex quibus eliciatur, ab antiquis forſan inſignita ſint, breuiter indicatis, de illius, quod hodie adhiberi ſolet, ratione et diuerſitate exponit, plantasque indicat, ex quibus parari poſſit

p. 206. et debeat. Nomen *amyli* ſtatim indicat, illud abeque molendina, ſola per aquam ex plantis eductione parari: et optime quidem ex *Tritico monococco* et *Spelta*. Cl. Auctor vero illud ex pluribus eduxit, vti ex bulbis *Fritillariae imperialis* LINN. quod ſubtile et peralbum erat, ex *Polygono Fagopyro*, ex radicibus recentibus *Calami Acori*, et *Iridis Florentinae*, ex ſeminibus recentibus *Aeſculi hippocaſtani*, ex bulbis *Colchici*, *Ornithogali alexandrini*, *Leucoii verni*, et *Galanthi niualis*. Poſtea de vſu amyli exponens, id de medico vſu addit, ob inſpiſſantem, lenientem, emollientem, lubricantem, temperantem et nutrientem virtutem omnem attentionem mereri; quaſdam vero eiuſdem ſpecies obſtruere et adſtringere: non eſſe autem, vti nonnulli medici opinati ſunt, in eo latentem acrimoniam, neque alia incommoda inducere.

p. 230. 9. *De incremento et coloribus teſtarum in conchyliis, tractatio*, Auctore Ill. IO. ERNESTO IMMANVELE WALCH. Duplici de incremento teſtarum opinione, quam Auctores, hic omnes a Cl. Auctore indicati,

indicati, fouerunt, expoſita, illam veram eſſe putat, qua teſtis fibroſa et celluloſa textura tribuatur, in qua fundamentum incrementi poſitum ſit: nam, cum animalia corpora ſint, organiſata eſſe debent, quod ex determinata eorum ſtructura, et ſimilitudine cum ſcutis aliorum animalium patet; cui accedit, quod microſcopiorum ope, iam fibrae ſeu vaſa in iis detecta ſint. Haec vaſa cum iis, quae in foliis plantarum diſperguntur maxima ex parte conuenire, atque in vnaquaque ſpecie conchyliorum diuerſa eſſe, duritiem eorum a ſucco tenace et indurato pendere, qui, ſi interſtitia repleuerit, lamellas conſtituat. In his vaſis etiam humores, alios atque alios colores nanciſci, vt igitur etiam cauſſa diuerſorum colorum in vaſcularifabrica teſtarum quaerenda ſit.

Iam de modo, quo incrementum teſtae fiat, agit. p. 252.
Teſtam iam in ouo ſimul cum animali adeſſe microſcopia docent. Lamellae teſtarum ab exteriori parte apponuntur, quod probant animalia marina, e. g. corallina intra lamellas contenta. Deinde negat teſtarum anfractus numero augeri, ampliores longioresque fieri concedit, atque ipſum animal cum teſta per tendines vel muſculos nexum eſſe confirmat; quaſdam vero cochleas teſtas ſuas deponere precario aſſumtum eſſe.

Rationes denique, cur colores teſtarum a va- p. 260.
ſculari ſyſtemate et humoribus in eo ita mutatis oriri exiſtimet, has proponit Ill. Auctor: certam et determinatam colorum delineationem, quae a limitibus vaſculorum pendeat, in quibusdam enim ſi reperiuntur varietates, rupta eſſe vaſa demonſtrant; deinde incrementum figurarum coloratarum cum ipſa teſta aequabile, idque quod colores, ſanis animalibus, pulchriores et multo magis nitentes, iis vero aegrotantibus pallidi ſint: denique ana-

logia cum coloribus plantarum, pennarum in auibus et inſectorum.

p. 267. 10. *Experimenta cum ſolutione terrae ſilicinae in acidis, Auctore* I. C. F. MEYERO. Horum experimentorum ſumma haec eſt, vt oſtendant terram ſilicinam atque aluminoſam inter ſe inuicem diſcrepare. Terra enim aluminis inter fundendum a ſale alcalino non aeque bene ſoluitur, atque ſilicina, neque in maſſam eiuſmodi ſpumeſcentem fluit, ſed in multiformem, mollem, quae aqua affuſa cito excudit illam aluminis terram ab acidis egregie ſolubilem. Et quamuis terra ſilicina, cuius diuerſa ſpecimina, ſedulo prius ab admixtis depurata adhibuit Cl. Auctor, vbi antea cum alcalinis fuſa fuerat et in liquorem ſilicum ſoluta, ab admixtis acidis, mineralibus aeque ac vegetabili, ſine vllius praecipitati veſtigio ſolueretur, maxime ſi duae liquoris ſilicum drachmae aquae deſtillatae vnciis ſex diluerentur: ſolutionibus tamen iſtis ad gelatinae prius conſiſtentiam, dein ad ſiccitatem euaporatis obtenta eſt maſſa, ex qua aqua, affuſa elixiuiatis ſalibus mediis, relicta fuit terra ſilicina, prorſus non mutata, atque in acidis penitus inſolubilis. Quapropter quidem, ea tamen, qua decet, modeſtia, dubitat Cl. Auctor de mixtione aluminis, quam BEAVME' et POERNERVS, VV. Cll. propoſuerunt, atque, ſi vtrique e ſilice impetrarint verum alumen, aut ſilicinae terrae adhibitae aluminoſam infuiſſe, aut encheireſin ſubeſſe iudicat abſconditam, cuius declarationem pergratam cum Cl. Auctore expectamus. Caeterum vix perſuaderi ſibi poſſe fatetur, *tartarum vitriolatum, acido vitriolico ſuperſaturatum*, qui ex liquore ſilicum acido vitrioli vltra ſaturationem remixto cryſtalliſando vere, vti et aliis modis obtineri poteſt, quamuis

Cl.

Cl. BEAVME', RVELLIO V. Cl. id ſtatuenti omni modo repugnat, habitum forte fuiſſe in Beaumeanis periculis pro alumine. Adiicit ſilicinae terrae calcaream aliquando parua copia mixtam eſſe, quam efferueſcentia non prodat, neque crudam, quum intime mixta ſint, neque vſtulatam, quum et haec cum acidis non ferueat; contrarius hac ex parte. CARTHEVSERO iuniori, V. Cl. qui ex cryſtallo montana obtentum cum acido vitriolico ſelenitem agnoſcere non vult, quoniam cryſtallus montana neque cruda neque vſta cum acidis ferveat. Caeterum nec CARTHEVSERO licuit e ſilicina terra parare alumen. Inter ſigna purorum cinerum clauellatorum refert Cl. Auctor, non ſolum ſolutionem facilem in aqua, verum et hoc, vt adfuſa acida nullam terram ſilicinam inde excutiant; ſi quidem ſordidi lucri cauſſa in calcinatione, adiecta fali huic arena, ita ſe intime vniat fali, vt, vna ab aqua ſoluatur et per filtrum tranſeat. Coctione tamen inſpiſſato liquore mox, vt terrae craſſae mucilagineae gleba inde rurſus ſecedat. Vnde quoque explicat originem terrae iſtius ſilicinae, quae crebris ſalium alcalinorum ſolutionibus et calcinationibus ex ipſis ſeparatur, atque pro vera ipſorum parte conſtitutiua habetur; Noſtro nimirum ex ipſis crucibulis inter calcinandum in ſal aduentaſſe atque adeo acceſſoria videtur.

11. *Deſcriptio Oniſci Pſorae* LINN. iconibus illuſtrata Auctore L. SPENGLER. Hoc animal iam a IACOBAEO *), WORMIO **), et STRÖMIO ***), p. 292.

Xx 5 nota-

*) in muſeo reg. Hafn. 1696. P. I. Sect. 5. tab. I. n. 25. vid. et IO. THOOLEVII deſcript. in act. medic. Hafn. 1677. Vol. 5.

**) vid. EIVSD. muſ. p. 242.

***) EIVSD. Sandmoer. P. I. p. 164. no. 2.

notatum eſt. Multae eiuſdem ſunt varietates, quoad pedum figuram, numerum et magnitudinem antennarum et ratione oculorum. Dorſum eius eſt plano fornicatum, ſeptem ſcutis tectum; cauda eſt rotundato acuminata, ſeu lanceolata. Antennis quatuor, duabus longioribus, duabus breuioribus inſtruitur. Oculi in quolibet latere ex 330 minoribus componuntur, quorum quilibet hexagonam cellulam quaſi conſtituit, materia viridescente repletam. Quot in dorſo ſcutis, totidem pedibus inſtruitur, qui in ſingulari vagina haerent, et quinque articulis conſtant. Abdomen tenui, ſed tenaci cute eſt tectum, ſub qua ouarium pellucet, cui ab Islandica gente vires magnae tribuuntur, vnde et animal nomen habet *Oenskebiörn*, i. e. Vrſus optatorius. Quae reliquam huius inſecti hiſtoriam attinent, ea, fatetur Auctor Cl., plurima adhuc obſcura et dubia ſunt.

p. 308. His additur *Oniſci Ceti*, et *Oeſtri* LINN. atque *Chitonis aculeati* LINN. qui a nonnullis perperam cum *Oniſco Pſora* confunditur, plenior et curatior deſcriptio atque icones. Recte *Chitonem* ad *Teſtacea* referri confirmat, cum teſta eius non cornea, ſed lapidea et calcarea ſit, ideoque cum acidis effervescat. Plura addit de varietatibus eiuſdem, et monet eas aliis conchyliis et extus, et intus adhaerere, vti lepades.

p. 332. 12. D. PELISSONI *comparatio optimorum microſcopiorum, atque breuis quorundam microſcopicorum tentaminum relatio.* Microſcopia compoſita a *Ruſſio*, *Adamo* Anglo, *Rheinthalero* et *Hofmanno*, Lipſienſibus, fabricata ſecum comparat. Delobarianum nuper in Belgio fabricatum omnium viliſſimum recte iudicatur. Hofmanniano, ratione claritatis et augmento, quod producit, prae reliquis

quis omnibus primatum tribuit; atque, quae de qualitatibus externis monet, ea ita comparata ſunt, vt pro lubitu ab artifice emendari poſſint. Addere etiam id debemus, Cl. Auctorem microſcopium diſquiſiuiſſe, quod e primis eſt; atque nouiſſime facta ab *Hofmanno* microſcopia eam habere praecipuam virtutem, quod lentes facillime et citiſſime transmutari poſſint. Adiicit in tabula rationem lentium vitrearum, ad ſe inuicem et focum eorum.

Varia microſcopica animalia in aquis Berolinenſibus obſeruauit Cl. Auctor, vt *Vorticellas*, *Hydram ſocialem* et *Crepidae* ſimile animalculum a Cl. GOEZE primo detectum, in quo eandem ſpontaneam partitionem vidit, quae in *Naidibus* obſeruatur; *Gonium pectorale* (MÜLLERI *hiſt. verm. p. 60.*) de quo monet, non ſemper ſedecim ſphaerulas coniunctas, ſed interdum quinque aut ſex ſphaerulas reperiri; illudque per quaſdam tantum ſeptimanas vidit, poſtea apparuerunt anguillulae minimae acutae. Quaerit igitur, an hoc *Gonium* animal, an ouula, aut larua inſecti ſit habendum; an vero anguillulae inde natae ſint? p. 338.

13. *De origine margaritarum nouam hypotheſin* proponit I. H. CHEMNITZ. Omnibus opinionibus de ea expoſitis, margaritas ab animalibus concharum ſtrui, tanquam auxilia contra iniurias externas et laeſiones, a *Serpulis* et aliis vermibus marinis teſtis impreſſas. Idque probat ipſis conchis, quae exteriore in lamina teſtae a *terebellis* laeſae ſunt et intus cuilibet foramini praefixam habent margaritam. Perforatas vero teſtas, in quibus multae margaritae reperiuntur, vel animale mortuo perforatas, vel animal a hoſte quoque enecatum eſſe. Atque, ſi haec ſententia vera ſit, ſtatim ab exteriore parte cognoſci poterit, an concha margaritas gerat, p. 351.

nec

nec ne, deinde quoque arte cogi poterunt conchae, vt margaritas componant, ſi perforentur earum teſtae, et iterum aquae immittantur.

p. 370. 14. Cl. I. A. E. GOEZE *deſcriptio animalculi aquatici vel parum noti, vel plane incogniti, icone illuſtrata.* Propenſus eſt Cl. Auctor, vt hoc mirae et ſingularis ſtructurae animalculum laruam inſecti ignoti habeat, qua in re nos ei lubenter aſſentimus, propter ſimilitudinem, quam cum aliis laruis habet. Interim ſingularis et notatu digniſſima eſt eius ſtructura. Corpus eſt elongatum, articulatum, antice craſſius, caput enim vncis duobus anterioribus trifidis, aliisque piloſis proceſſibus, palporum inſtar; et os duabus maxillis quinqueſerratis inſtruitur. Oculus oualis, glaber, conuexis, albis globulis, margaritas aemulantibus cinctus. In thorace duae reniformes maculae conſpiciuntur, quae forſan ſpiraculorum loco inſeruiunt. In cauda ſunt plures ſetae pinnatae retractiles. Reliqua iconum illuſtratione egent.

p. 380. 15. I. CH. E. *de effectu pollinis plantarum experimentum.* Nimirum commixto polline plantarum diuerſarum natae ſunt plantae hybridae, plantis vtrisque ſimiles.

p. 387. 16. LORENTII SPENGLERI *deſcriptio nouae Tellinae ex inſulis Fridericianis, icone ornata.* Rarae huius conchae ſingularis proprietas ea eſt, quod margo vterque poſterior, ſpectans cardinem, vtrinque ſerratus, ſeu mucronibus latis obſeſſus ſit.
p. 395. Teſta alba eſt, longitudinaliter ſulcata. Huic addit nouae *Helicis* ex oceano auſtrali deſcriptionem et iconem: quae magnitudine nucem auellanam aequat et triangulum obtuſum format, eſt tranſuerſim plicata,

plicata, atque anfractus in parte ſuperiore variee eminente cincti ſunt.

In litteris adnexis dat quoque relationem de *Cono Ammirali cedo nulli*, atque huius varietatem, quae pro ſecundo gradu habetur, depictam et deſcriptam ſiſtit. p. 411.

17. *De morte Hydrae griſeae obſeruata, Auctor* F. W. S. Hydras has poſt quoddam tempus tuberculis obſideri, corpus contorquere, quaſi dolores ſentiant, atque ſenſim ſolis tentaculis moueri, obſeruauit donec et haec cum ipſo corpore motu et vita privarentur atque in aqua diſſoluerentur. p. 398.

18. OTHONIS FRIDERICI MÜLLERI *deſcriptio molluſci noui.* Hoc inſidet conchis et lignis nauium etc. *Aſtiniae* proximum eſt, cum vno poro tantum inſtruatur: inſidet pedunculo, qui verſus caput in corpus ouale extenditur; caput rubrum 24 conicis papillis obſeſſum, in quarum media porus, quem pro ore habet Cl. Auctor, reperitur. Motus huius animalis fere inſenſilis, in eo conſiſtit, quod papillae conicae extrahantur et retrahantur. p. 406.

His ſubmittuntur excerpta ex litteris, e quibus notemus, Cl. MEYERVM *Salem ammoniacum* tanquam optimum contra vermes, qui aues factas infeſtant, commendare remedium: nobis tamen aues eo illinitae nihilominus a vermibus exeſae ſunt: Cl. CHEMNITZ referre, naues contra *Teredines* muniri pilis vaccinis intra externum aſſerem denſe immiſſis; Cl. FERBERVM ſcribere *Lauas* ex Vulcano Islandiae eruptas in columnas *Baſaltis* mutari. Denique Cl. TARGIONI Florentinum publicare, Florentiae inſtitui etiam ſocietatem naturae curioſorum, eumque omnes Phyſicos ad hanc inuitare. p. 423. p. 426.

Finem

p. 434. Finem faciunt memoriae Cl. GÜNTHERI, Med. Doct. Sereniſ. Duci Saxon. Coburg. Salfeld. a Conſiliis aulicis: atque GRÜNDLERI, Pictoris et Phyſici Celebris Halenſis.

XVII.

Eſſai de Criſtallographie ou Deſcription des figures géometriques, propres à différens corps du regne minéral, connus vulgairement ſous le nom de Criſtaux, avec figures & développemens, par M. DE ROME DELISLE, de l' Acad. Elect. des Scienc. vil. de Mayence. à Paris. Chez Didot Knapen et Delaquette. 1772. 1 Alph. 6 pl. tab. aen. X.

h. e.

Cryſtallorum deſcriptio, quoad earum figuram geometricam, Auctore Cl. DE ROME DELISLE.

Cum in colligendis et determinandis cryſtallis Cl. Auctor occupatus eſſet, protinus animaduertit, nondum hactenus ſatis Auctores earum differentias indicaſſe, conſiliumque cepit, ſollicite eas deſcribendi, atque hic pleniorem earum hiſtoriam tradit, in qua deſcriptas cryſtallos cum iis, quas LINNAEVS conſtituit, aliorumque Auctorum nominibus diligenter comparat, deinde ſingularum cryſtallorum vberiorem dat et concinnam deſcriptionem, multasque indicat, quae in LINNAEO non reperiuntur. Omninoque potiſſimum oſtendere annititur affinitatem, quae inter cryſtallos ſalinas, lapideas et metallicas reperiatur: quare etiam omnes cryſtallos, tum quoque earum compoſitionem egregiis et accuratis iconibus illuſtrat. Partitus eſt liber

liber in quatuor partes, quarum prima cryſtalli ſalinae, altera lapideae, tertia pyritoſae ſ. ſulphuris et arſenici, quarta metallicae enumerantur. Libro praemiſſae ſunt tabulae ſynopticae, in quibus cryſtallorum analogia egregie demonſtratur.

De hac cryſtallorum analogia quoque Cl. Auctor in tractatione, prooemii inſtar praepoſita, eleganter agit. Nullum dubium eſſe, ait, quin ſalia partes lapideas, metallicas et ſulphureas, determinuerint ad aſſumendam regularem aliquam figuram. Igitur Ill. LINNAEI ſententia, qua ſalia tanquam baſis lapidearum cryſtallorum aſſumuntur, ex multis obſeruationibus confirmatur. Cryſtallorum figura primitiua ſaepe mutatur, cuius mutationis cauſſa, vel ex aliis admixtis particulis ſalinis, vel ex nexu diuerſo figurae, cryſtallo propriae, pendet. Nexus hic mutari ſolet, ſi tempore cryſtalliſationis, fluidum, in quo cryſtalliſandum corpus ſolutum eſt, nimis ſubito ſubtrahitur, vel motu interno cietur. Quod quidem Cl. Auctor ex phaenomenis in cryſtalliſatione quacunque obſeruandis colligit. In eo tantum cryſtalli lapideae, metallicae et ſulphureae a ſalinis differunt, quod careant aqua cryſtalliſationis, quae ſalibus tantum propria ſit. Omne ſal neutrum continet, praeter aquam cryſtalliſationis, etiam aquam combinatam cum principio terreo qualicunque, quae non, niſi in ultima ſalium analyſi cognoſcitur. Haec poſterior vero aqua iuncta terreo principio ſub nomine acidi, intrat cryſtallos ſulphureas, lapideas et metallicas. Pluribus deinde experimentis aliorum Auctorum, qui etiam ſalia ad cryſtallorum omnium generationem requiri putarunt, ſimilitudinem omnium cryſtallorum tum ex figura et forma ſimili, tum exinde, quod Chemici cryſtallos conficere poſſint

§. 7.

p. 25.

poſſint lapideas, ſal continentes probat atque LINNAEI ſententiam reliquis omnibus praeferendam cenſet.

p. 45. Salia conſiderat quoad tria regna, ex quibus ſumuntur. Sal acidum phoſphoreum refert, ad acida mineralia. Acidorum et alcalinorum ſalium cryſtalli parum determinatae ſunt: Noſter aceti,
p. 52. natri, et aphronatri cryſtallos deſcribit. Salium neutrorum cryſtalli facilius obtinentur, quas Noſter cum varietatibus deſcribit; ita vero haec ſalia ordinat, vt acidi ſalis, ex quibus compoſita ſint, maximam rationem habeat. Enumerat igitur ſalia vitriolica, nitroſa, marina ſ. communia, phoſphorea, ſulphurea, tartari, aceti, vegetabilium, empyreumatica tum vegetabilia, tum animalia, boracis arſenicalia, neutra, alcalina et denique eſſentialia. Horum ſalium ſpecies conſtituit varias, prout terrae vel metalla, vel alia ſalibus admixta ſunt. Poſtea ſingularum ſpecierum cryſtallos earumque varietates indicat, et ſollicite oſtendit, eandem ex mutatione figurae primitiuae ſolum pendere, id quod clariſſime exemplis variarum aluminis, tartari vitriolati, et ſalis fontium cryſtallorum demonſtratur; prout enim vel minus anguli aut latera cryſtallorum abſcinduntur, eo etiam ſimilis vel diſſimilis magis oritur cryſtallus. Nos ſingularum cryſtallorum recenſionem hic ſuſcipere non opus exiſtimamus, cum ſpecies ſatis cognitae ſint, et varietatum copia nimis ampla ſit, facileque ad primitivam figuram reducatur. Notemus modo ad animalia empyreumatica ab Auctore referri *ſal ſedativum*, quod ex Borace ope acidorum obtineatur, conſtituatque ſal neutrum, ita intime nexum, vt nulla arte adhuc potuerit decomponi, et quibusdam tantum dotibus acidis ſimile ſit. Conicit,

illud

illud ex acido phoſphoreo atque terra quadam componi. Cryſtalli eius ſunt laminae nitentes, tenerae, figurae nondum determinatae. Arſenicum album, ſ. caix metallica arſenici Auctori videtur quoque terra ſingularis, acido cuidam iuncta.

In altera parte de cryſtallis lapideis agens, primum de origine earum per aquae ſolutionem ita diſputat, vt etiam cryſtallos Baſaltis hoc modo natas eſſe opinetur, donec earum origo per ignem firmiſſimis probata ſit argumentis *). Non poſſumus non hic iterum laudare ſingularem et ſummam ſane adhibitam curam in deſcribendis ſingulis cryſtallorum ſpeciebus et varietatibus. HILLII diuiſionem cryſtallorum ſpatoſarum et ſelenitica-rum iudicat eſſe vagam, nimisque ſubtilem, cum ſpeciebus male generum nomen dederit ſicque ſpecies nimis auxerit. Sub finem generis addit eas ſpecies cryſtallorum, a WALLERIO propoſitas, quae ipſi contemplari non licuit. In hac parte tanquam genera aſſumit cryſtallos *Spati, Gypſi, Fluoris mineralis, Micae, Quarzi, Gemmarum, Baſaltis, et Zeolitis.* p. 106.

Quaſdam nouas cryſtallorum ſpecies comme-morare placet. Cryſtallum ſpatoſam deſcribit, priſmaticam, hexaëdram, terminatam pyramidibus duabus hexaëdris, quarum plana reſpondent angulis priſmatis: huius quatuor varietates indicat, cuius prior a LINNAEO *ſyſt. nat. t. III. f. 40.* depicta eſt, non vero Spato tributa. Deinde aliam pyramidalem, ſubhexaëdram, plano triangulari termina- p. 124. p. 130.

*) Forte FERBERI, BORNII, COLLINI, DESMAREST, et aliorum obſeruata ſufficienter hanc hypotheſin probant v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 249. ib. p. 496. ib. p. 680. vid. etiam Cl. BORN epiſt. de vulcano prope vrbem *Eger* reperiundo. comm. noſtr. Vol. hoc p. 373. COLLINI obſeruata reperiuntur in eius itinere, quod a. 1776. prodiit, et proxime a nobis indicabitur.

terminatam, quae in fodinis cinnabari ducatus
p. 153. Bipontini reperta eſt. Monet cryſtallos *Fluori mineralis* cubicas interdum angulis vel etiam marginibus laterum eſſe truncatas, atque in
p. 158. hac re multum variare. Dubitat Cl. Auctor, an Alumen lapidoſum *quarzeum, extus nigrum* LINN. ad *Quarzum* pertineat, illudque magis Fluori mine-
p. 159. rali adiungendum putat. *Fluorem mineralem* priſmaticum tetraëdrum, duobus tetraëdris breuibus plani inaequalibus, terminatum, a Cl. SAGE iam dictum quoque deſcribit.

p. 161. *Cryſtallos micaceas* Cl. Auctor deſcribit, priſmaticas, hexaëdras vtrinque truncatas, quas ſimiles in *Gypſo Glacie Mariae* vidimus. Obſeruauit Noſter tales cryſtallos inſertas Quarzo, quibus longae et tenues fibrae *Schörli* (*Baſaltis* WALL.) immixtae eſſent, deinde easdem quoque in Granite reperit. Ad cryſtallos micaceas quoque refert Baſaltem lapidem cruciferum dictum, (CRONSTEDT § 75) eiusque tres ſpecies facit.

p. 169. *Cryſtallum montanam* quoad figuram, magis ſimilem eſſe tartaro vitriolato, quam nitro affirmat, obſeruationes STENONIS de formatione cryſtallorum hic proponit, atque eius diuerſitates quoad colores, proportionem planorum in priſmate, et pyramidibus, varietates tantum conſtituere recte aſſerit.

p. 194. *Gemmas* in eo a *Cryſtallo montana* differre arbitratur, quod gemmarum particulae interiores in lamellis ſubtiliſſimis diſpoſiti ſint, vnde, ſi infigui earum durities addatur, ſplendor et nitor earum
p. 199. deriuanda ſint. Indicat errorem, quem WALLERIVS in priore mineralogiae editione circa figuram Adamantis commiſerit, cum *hexagonam* figuram pro *hexaëdra* habuerit: quod quidem nos ideo quoque indicamus, quoniam plures mineralogi in eundem

eundem errorem, etiam in aliis cryſtallis deſcribendis inciderint. Deinde etiam *Adamantem tabelarem* WALL. non eſſe niſi fragmenta prioris ſpeciei ait. Dubitat quoque de genuino *Adamantum*, quos WALLERIVS in Europa inueniri ait, pretio. Docte et eleganter reliqua de natura, et locis natalibus Adamantis ex aliis collegit Auctor. p. 206.

Gemmas Braſilienſes, vti *Rubinum*, *Saphirum*, *Topaſium*, etc. figuram habere Baſalticam monet. *Saphirum Orientalem* deſcribit cubicum, rhomboidalem, planis inaequalibus. In muſeo regio eſt *Saphirus Braſilienſis*, priſmaticus polyedrus, planis inaequalibus, ſulcatis pyramide obtuſa terminatus; alia eius varietas eſt hexaëdra, apice diëdro, cuius alterum planum pentagonum, alterum trapezium eſt, finitur. *Topaſius Braſilienſis* eſt tetraëdrus rhomboidalis, planis ſtriatis, terminatus vtrinque pyramide tetraëdra, planis triangulis. *Chryſolitum*, quem *Orientalem* propter diuitiem nominat, poſſidet Auctor priſmaticum, heptaëdrum, terminatum vtrinque pyramide tetraëdra cuneiformi. p. 221. p. 224. p. 230.

Praetermittimus plura, quae de Baſalte habet Cl. Auctor, et *Baſaltis Turmalini*, quoad cryſtalli figuram, deſcriptionem commemoremus: cryſtallus eſt priſmatica enneaëdra planis inaequalibus ſtriatis, apice triëdro, obtuſo, planis rhomboidalibus, inaequalibus.

In tertia parte de cryſtallis Pyritaceis et Arſenicalibus agit. Sub Pyrite intelligit, mineram arſenici, cupri, et ſulphuris ſ. Pyritem proprie dictum; ſed diſtincte diuerſitates omnium proponit, vt facile a ſe inuicem dignoſcantur. Poſſidet Cl. Auctor mineram, quae ſucceſſiuam Pyritae originem p. 290.

egregie demonſtrat: galenae enim cubicae ſuper incumbit ſtratum fluoris mineralis cubici, huic inſidet ſtratum pyritae ſulphurei, quod tegitur cryſtallis ſpati calcarei.

p. 295. *Pyritae ſulphurei*, qui in globis aggregatus reperitur, cryſtallos, ſi ſeparatim inueniantur, eſſe octaëdras aut decaëdras, ex duabus oppoſitis pyramidibus apice truncatis compoſitas, quarum inferior ſuperiore longior eſt. Simul monet *Siderita* SCHEVCHZERI, atque ſic dictos Adamantes Burgo-

p. 310. nienſes *), nihil eſſe, niſi Pyritem martialem. *Pyritem cupreum* obſeruauit etiam icoſaëdrum formatum ex viginti triangulis aequilateris. Conſiderari poteſt haec cryſtalliſatio, tanquam priſma breue pentaëdrum, cuius anguli alternatim vtrinque ſint truncati et quod finitur vtrinque in pyramidem pentaëdram: ſic naſcuntur viginti plana.

p. 316. In parte tertia prius de origine cryſtallorum metallicarum, quam ſimilem aliis eſſe oſtendit, atque cauſam cryſtalliſationis ponit in ſalibus, quae iuxta ſententiam Cl. SAGE, cui Noſter adſen-

p. 325. titur, etiam in metallis reperiuntur. Cinnabaris cryſtallos vidit priſmate triëdro, breui, terminato vtrinque pyramide triëdra, prope a baſi truncata, atque alias decaëdras, duabus pyramidibus baſi iun-

p. 332. ctis, vtrinque truncatis compoſitas. *Pſeudogalenae* cryſtalli ſunt vel octaëdrae vel cubicae: recte dicit Auctor variare Pſeudogalenam colore; nunquam tamen eſt coloris cornei; id enim quod nonnulli Germanorum *Hornblende* dicunt, eſt lapis ad Ba-

p. 334. ſaltem ſ. Schörlum pertinens. *Cobaltum cryſtallinum* cubicum deſcribit, cuius margines et anguli ſint truncati. *Cobaltum rubrum, ſtriatum* (vulgo

*) Deſcriptae in diario *Mercure de France* 1731. Dec. p. 2719 ſeq.

ſer Cobalti) cryſtallos offert priſmaticas quadrangulas tranſparentes, terminatas vtrinque pyramide diedra aut tetraëdra, planis rhombeis.

Stanni cryſtalliſati nigri cryſtallus eſt cubica rectangula, cuius margines omnes ſunt truncati: conſtat igitur ex ſex planis rectangulis, et duodecim hexagonis elongatis: huius figuram curate et uberius deſcribit Auctor.

Plumbi cinerei (*Plumbum pellucidum* LINN.) P. 350. cryſtallos dicit hexaëdras compreſſas, terminatas vtrinque pyramide obtuſa. Huius minerae color aemulatur colorem argenti cornei, ſi tranſparens eſt; datur quoque opacum, griſeum (hoc forte eſt *Plumbum cinereum*): effereſcit cum acido nitri et molle eſt. Reperitur in fodinis *de la Croix de Sainte Marie aux Minet.*

Omittimus plures varietates cryſtallorum nouas, quas Cl. Auctor laudabili ſtudio in *Cupro*, *Ferro*, et *Argento* curate deſcripſit, quum vix fore quemquam putamus mineralogum, qui hoc libro perneceſſario diutius careat. Sub finem addita eſt verſio tabulae de affinitatibus cryſtallorum a LINNAEO datae, et index rerum annectitur.

XVIII.

Index Foſſilium, quae collegit et in Claſſes ac Ordines diſpoſuit IGNATIVS S. R. I. Eques a BORN. Pragae, apud Wolfgangum Gerle. 1772. plag. 12. 8. tabb. aen. 3. Pars altera. ib. 1775. plagg. 10. tab. aen. 3.

Non negandum eſt enumeratione rerum naturalium, ſic et mineralium collectarum, atque diligenti earum deſcriptione, magnum vſum in augmentum totius hiſtoriae naturalis redundare,

praeſertim ſi tam curate et caute omnia commemorentur, quae ad naturam corporis naturalis pertinent, quam bene factum eſt in mineralibus a Perill. Auctore. Collectionem eius certe ad perfectiores et praeſtantiores referendam eſſe et magnus numerus, et curatae de ſingulo indiuiduo relationes et obſeruationes demonſtrant. Praecipua vtilitas huius indicis in indicata ſinguli mineralis patria atque in pluribus mineris minus cognitis poſita eſt. In ordinandis omnibus CRONSTEDTII ſyſtema praecipue aſſumſit, in mineris denominandis LINNAEVM, in nonnullis alios Scriptores ſecutus eſt Perill. Auctor. In plerisque foſſilibus matrices adnotauit, atque addidit quoque ſaxa, e quibus montes metalliferi conſtant. Vnde patet non merum indicem nominum, ſed obſeruatis plurimis lectu digniſſimis plenum librum eſſe habendum.

Primum igitur terras et lapides, phlogiſta mineralia et metalla enarrat, e quibus nos quaedam tantum, noua praeſertim, delibabimus.

p. 3. *Lapis calcareus albus*, particulis ſpatoſis, ſtratum horizontale ad Derbyshire Angliae efficiens, petrefacta continet, quo CRONSTEDTII obſeruatio ad §. 9. qui veſtigia petrefactorum ei denegat, debilitatur.

p. 5. Plures deſcribit *Spati calcarii cryſtalliſati* formas, e. g. cryſtallis trigonis (forte *triëdrae* melius dicerentur), vtrinque pyramidatis, priſmate nullo intermedio; columnis tetraëdris et truncatis, planis vel aequalibus, vel alternis anguſtioribus, et apice diëdro; orbiculis hexaëdris, in apicem triquetrum deſinentibus. Diſtinguit a *cryſtalliſato Spato* Cl. Auctor *figuratum*, vel lamelloſum, vel
p. 8. cylindricum, vel globoſum. Notabile eſt *Spatum*
p. 9. *flaueſcens*, cylindris tenuiſſimis longioribus in co-

num

tum defluentibus, e *Siglisberg* Schemnizii Hungariae inferioris; aliudque globis solitariis flauescentibus, superficie cylindris spatosis distinctis ad centrum tendentibus echinata, e *fodina Christinae* ibidem: vtrumque est depictum.

Quasdam tantum *Gypsi crystallisati* species, hic depictas, nominemus: aliam crystallis pyramidatis, pyramide trigona, apice truncata; aliam tetraëdram, columna erecta tetraëdra truncata, lateribus aequalibus; aliam tetraëdram columnarem, lateribus alternis angustioribus serratis, pyramide trigona truncata. p. 15.

Quarzum crystallisatum cubicum pellucidum, cubis solitariis inanibus, cauitate cubica, superficie crystallis acaulibus tecta; e fodina *Annae Cremnizii Hung:* et parallelopipedum, parallelopipedis inanibus solitaribus, crystallis minimis acaulibus tectis, e *Siglisberg Schemnizii Hung. inf:* hexaëdrum clauatum s. vbi pyramis crassior columnae tenuiori imposita est: et quoque hexaëdrum clauatum, pyramide minore columnae crassiori adnata: denique hexaëdrum, pyramide superiore clauata inferiore acuminata, ex fodina Christinae Schemnizii, memorandae videntur nobis crystallisationes. p. 21.

Inter *Calcedonios* est quidam stillatitius, qui includat vegetabilia, Ericam, Iuncos, etc. e *Lebotka* prope *Chremnitz Hung. inf.* p. 25.

Cum, quae de *Auro laruato*, atque *mineralisato* enumerat varietates et matrices, ex litteris Cl. Auctoris *) iam cognita sint, mentionem tantum faciamus, *Auri nativi solidi bracteati* lamellis superficie crystallisata, crystallis trigonis, oculo non armato probe dignoscendis, ex Abrubanya in Transsyluania. p. 64.

*) v. comm. nostr. Vol. XX. p. 500.

p. 70. *Argentum natiuum dendroides*, ramulis Quarzo pellucido obductis, ad *Ratieboriz Bohemiae*; et petrosilice flauescente stillatitio obductis, ex *Aberdam ad Ioachimsthal Boh:*

p. 73. *Argentum vitreum capillare*, longioribus articulatis capillis, antennis *Cerambycum* simillimis, e *Moderstolln ad Schemnitz Hung. inf:* — crystallisatum, cubicum, et crystallis decaëdris et polyëdris.

p. 76. *Argentum rubrum* crystallis tetraëdris, elongatis, ex *Hof ad Schemnitz Hung. inf.* *Argentum mineralisatum album* crystallis pyramidatis trigonis basi hexaëdra, e *Kapnik Transsylv.* et crystallis polyedris.

p. 87. *Minerae stanni vitreae* crystallisationem describit; est crystallus maior dodecaëdra e planis quatuor tetraëdris, et octo trigonis, quam vnicam et distinctam, planis regularibus inter crystallos innumeras polyëdras Cl. Auctor reperit. Etiam

p. 89. *Stanni spatosi*, et quidem crystallisati tetraëdri, et octaëdri, ex *Simonis* et *Iudae fodina* ad *Schönfeld*

p. 107. *Bohemiae*, mentionem fecit. *Cuprum vitreum* crystallisatum, crystallis decaëdris, e planis tetraëdris, et crystallis minimis polyedris indicat. Omittimus plures de reliquis metallis crystallos vel alias species indicare, quae potissimum copiosae sunt ex Transsyluania atque Vngaria, in litteris Cl. Auctoris iam passim descriptae.

p. 149. In Classe quinta Petras s. Saxa enumerat, atque hic primum partes simpliciores, ex quibus compositae sunt; deinde eorum locum natalem accurate indicat, quod omnino magni vsus est ad geographiam mineralogicam emendandam.

P. II. In Parte altera Petrificata et producta Vulcanorum, vti quoque accessiones lapidum minerarumque indicantur. Petrificata methodo Linnaeana ordinauit, obseruauitque, quae ad vberiorem naturae cogni-

cognitionem faciant, commemorauit quoque icones a Lithologis datas, inprimis eas, quas Ill. WALCHIVS curis Knorrianis edidit. Quaſdam nouas aeri incidi curauit, vti ſunt:

Entomolithus incognitus, trilobus, lobo medio eleuato, ſtriis duabus tranſuerſis verſus baſin ſtriato, lobis lateralibus depreſſis, laeuibus. In argilla indurata cinerea fiſſili. E *Ginez circuli Beraunenſis Bohemiae.* p. 6.

Helmintholithus aculei echini, longiſſimus ſtriatus, ſtriis ſimplicibus, baſi aculei obouata et petiolata; in lapide calcario nigro ſuillo. E *Koſorz prope Pragam Bohemiae.* p. 9.

Oſtreae rudis; teſta lamelloſa lamellis vndulatis: de quo quaeritur, an ſit Oſtreae foſſilis, quam Cl. MONTI in commentariis Bonon. Tom. III. P. II. pag. 339. f. 4. deſcribit, fragmentum, atque conuenire fere dicitur cum figura, quam SCHEVCHZERVS hiſtor. natur. Heluet. Tab. III. f. 119. et BOVAQVET *des Petrif.* Tab. III. f. 117. dederunt. Albus, calcarius. *E ſtrato oſtrearum foſſilium, ad Valiabanya Bannatus Temeſienſis.* p. 18.

Nautili orthocerae, teſta conica laeui dimidiata, cameris latioribus, ſiphunculo medio cameras arcuatas ſecante. Albus, in lapide calcario nigro. E *Koſorz Bohemiae.* p. 32.

Madreporae porpitae orbicularis, parte altera plana, ſtriis concentricis eleuatis, altera conuexa, in medio longitudinaliter profundius ſulcata, ſtriis a ſulco verſus marginem tendentibus. Calcarius cinereus maximus, magnitudine volae; ad ſalinas *Auſtriae ſuperioris.* p. 45.

Madreporae compoſitae, corporibus hexaëdris ſolidis parallelis erectis contiguis: cellulis ſtella repletis; marmoreus flauo fuſcus; ad ſalinas Auſtriae ſuperioris. Iam ſimile ſpecimen LINNAEVS in amoenit. academ. Tom. I. fig. 27. depictum dedit, dubitat tamen Noſter, an idem ſit. p. 49.

Helmintholithus Corallinae, ramulis dichotomis, articulis bicornibus; in lapide calcario nigro; e *Koſorz* prope Pragam Bohemiae.

p. 58. Numeroſa quoque ſunt Petrificata vegetabilia, in quibus ſaepe plantarum, vti quoque lignorum genera Cl. Auctor definire tentauit.

p. 67. et 70. Sequuntur lapides heteromorphi, atque producta vulcanorum tùm propria, ſ. ſcoriae, pumices, aliaeque montium igniuomorum ſoboles; tum ſpuria ſ. lapides aut minerae, vi ignis e vulcanis ejectae, nec igne mutatae: in quorum recenſione praeſertim ad FERBERI epiſtolas *) reſpexit, easque commemorauit.

His ſubiunguntur additamenta ad indicem foſſilium eorum, quae prima parte enumerata ſunt, vbi multae variarum cryſtallorum formae, e diuerſis locis atque aliae minerae reperiuntur. Inter alia ſingularia ſunt

p. 81. *Spatum calcarium* criſtalliſatum, dodecaëdrum album opacum, et lamellis quatuor erectis, obliquo truncatis, ita adunatis, vt prisma angulatum, apice tetraëdro efficiant, tab. I. fig. 1. depictum: e *Zellerfeld Hercyniae.*

p. 84. *Alabaſtrum rubrum pellucidum*, quod a metallicolis ad *Hallſtadt Auſtriae ſuperioris*, vbi reperitur, Achates dicitur, cum ſit fractura ſilicina, atque in ſalinis dum inſtrumentis chalybeis metallicolarum effringitur, ſcintillat.

p. 89. *Quarzum* cryſtalliſatum, columna hexaëdra obliquе truncata, tab. I. fig. 4. depictum.

p. 108. *Aurum* laruatum, in galena plumbi, quod tantum rariſſime Nagyaii occurrit.

Haec

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 244.

Haec pauca ex numeroſiſſima hac mineralium collectione indicaſſe ſufficiat; caeterum non dubitamus fore, vt liber hic certe vtiliſſimus a mineralogis ipſe diligenter legatur, qui ſane propter accuratam ſpeciminum definitionem, exempli inſtar ſeruire poterit.

XIX.

Noua phyſico medica.

Diuionenſis ſcientiarum artium et literarum elegantiorum Academia quaeſtionem, ab Eadem ad praemium 1774 reportandum iam propoſitam *) repetiit, nec ante 1 Aprilis 1777 illius commentarios exſpectat.

Haec vero erat ita comparata: *In quibuſnam morbis medico mox agendum eſt, in quibus vero exſpectandum et in quibus hoc vel illud praeferendum, quaenam ſunt ſigna, ex quibus medicus intelligat, vel agendum eſſe ſibi, vel quieſcendum, vſque dum tempus opportunius medicamenta applicandi appareat?*

Eadem Academia iterum iterumque quaeſtionem attinentem mutationem et mixtionem acidorum in oleis **) cum viris eruditis communicat.

Academiae regiae ſcientiarum *Burdegalenſis* quaeſtiones nonnullas reiteratas fuiſſe ſupra ***) indicauimus. Inter eas et haec eſt: *quaenam eſt cauſa bullarum ſtriarumque, in omnibus fere vitris opticis conſpicuarum, quibus modis iis poſſit caueri et vitra experimentis, quae cum iis inſtituantur, aptiora reddi* †).

Duplum

*) v. comm. noſtr. Vol. XVIII. p. 151. it. Vol. XX. p. 144.

**) v. ib. Vol. h. p. 543.

***) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 147.

†) v. ib. Vol. XIX. p. 549.

Duplum pollicetur Academia praemium et ſtipendium. Erat quaeſtionis elaborationes anno 1777.

Porro *Eadem* quaerit: *ſitne poſſibile urbi Burdegalenſi procurare maiorem aquae copiam et quaenam ſint remedia eam illuc ducendi et ibi diſtribuendi optima minuſque ſumtuoſa?* (*S'il ne ſeroit pas poſſible de procurer à la ville de Bourdeaux une plus grande abondance de bonnes eaux & quels ſeroient les moyens de les y conduire & de les y diſtribuer les plus ſolides, les moins ſujèts à inconveniens & en même tems les moins diſpendieux?*)

Pertinet et haec quaeſtio pariter ad ſupra memoratum annum, vti et ea, quae concernit virtutes medicas regni animalis, ac potiſſimum viperae, cancri fluuiatilis, teſtudinis cet. *).

Cautiones caeteroquin ab iis, quibus has in res inquirere placet, notandas in locis ſupra laudatis narrauimus.

Iam ſupra indicauimus, Academiam Regiam ſcientiarum *Pariſienſem* **) inſolita praemia nonnullis quaeſtionibus conſtituiſſe. Nos autem hic repetimus inprimis hanc: *Inueniantur remedia maxime prompta et maxime oeconomica ad procurandam in Gallia productionem et culturam nitri, quae ſit copioſior ea, quae nunc obtinetur et quae inprimis tollat inquiſitiones, quas nitrarii in domibus priuatis inſtituere ſolent.*

(*De trouver les moyens les plus prompts & les plus économiques de procurer en France une production & une recolte de Salpêtre plus abondante, que celle, qu' on obtient préſentement & ſur tout, qui puiſſent diſpenſer des recherches que les ſalpetriers ont le droit de faire dans les maiſons des particuliers.*)

Poſtulat

*) v. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 715.
**) v. ſupra p. 343.

Postulat Academia, vt, qui tractatus mittant, eos clare et appolite elaborent. Praemium 4000 librarum Gallicarum ei distribuetur, qui methodum optimam et quae facillime exerceri possit, propo-fuerit, etiamsi vel haec methodus oriretur ex felici applicatione obseruationum et experimentorum iam cognitorum.

Regiae scientiarum Academiae *Mantuanae* quaestioni *) de morbo in oryza, quae vulgo dicitur *Carolo*, praecauendo et curando, supra memoratae hoc addamus; quemcunque, qui hac de re optimum tractatum miserit Academiae, nummis aureis duobus, quorum singulus quinquaginta florenos aequat, donatum iri. Tractationes vero ante I. diem Nouembris 1776. Latina vel Italica lingua scriptae solutis vectigalibus Cl. GIOVANNI GIROLOMO CARELI, perpetuo Academiae secretario, tradi debent. Quaestionem de cortice Peruuiano vide superius **).

Academia scientiarum et artium elegantiorum *Berolinensis* optat, vt palam fiat arcanum: *Sabulum ad lapidis duritiem compingendi, vnde columnae et statuae fingi possint.* Praemium est sexaginta numorum aureorum Fridericianorum. Elaborationes calend. Mai. 1777. ab Ill. FORMEY more consueto ***) exspectabuntur. Exemplar lapidis libello addi oportet.

Lugdunensis scientiarum, elegantiorum litterarum et artium Academia Cl. CAMPERO praemium sexcentarum librarum Gallicarum a Cl. POUTEAU suppe-

*) v. comm. nostr. Vol. XX. p. 147.
**) v. comm. nostr. Vol. h. p. 167.
***) v. supra p. 344.

ſuppeditatum pro *theoria atque methodo morbis chronicis pulmonum medendi*, adiuncta diſquiſitione hiſtorica critica, ſupra praecipua remedia adhibita aduerſus hos morbos cum a veteribus, tum a recentioribus, etiam ab empyricis*) diſtribuit. Commentario Cl. CAMPER praepoſuerat CELSI illud: *in omnibus cogitationibus in vtramque partem diſſeri poteſt.*

Acceſſit decretum eſt Experientiſſimi BIRNINGERI tractatui, qui hoc dicto inſcriptus erat ex MARTIALI: *non nobis licet eſſe tam diſertos, qui muſas coluimus ſeueriores.*

Iaſſii in Moldauia vniuerſitatem ab Ill. GREGORIO GKIKA fundatam eſſe audiuimus.

XX.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1773. prodierunt.

Abhandlung von der beſten Art, die Weine theils zum gemeinen Gebrauch, theils zum verſenden zu machen und zu behandeln. Von dem Abt ROZIER. *Zerbſt 8.* (Eſt tractatio Germanica e Gallica lingua de cultura et tranſportatione vini. Attinet quidem Prouinciam, poſſunt tamen et aliis regionibus vtilia hic reperiri. Laudatur haec verſio quoque ob annotationes additas, quae differentiam culturae vini inter Gallos et Germanos in ſe continent. Tabulae aeneae autem in verſione ſunt omiſſae.)

Théorie de la figure humaine. Traduit du Latin de PIERRE PAVL RVBENS. à Paris 4. c. f.

Kurze Abhandlung von dem jetzt herumgehenden Fiebern von CHRIST. GOTTL. RVDELSTAEDTER. *Rudelſtadt und Jena. 8.*

IO. HENR. RVMPEL theſes med. de opio. Duisburg. 4. BERNH.

*) v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 144.

HENR. RVST diſſ. inaug. de limitanda laude virtutis ſtypticae balſami vulnerarii rubri DIPPELII et olei martis per deliquium. Gotting. 4.

A chronological hiſtory of the weather, ſeaſons and diſeaſes in Dublin from the year 1725 to 1765. By JOHN RUTTY being a proſecution of this ſubjects according to the ſpecimens publiſhed by HUXHAM and WINTRINGHAM. Lond. 8.

Neue alchymiſtiſche Bibliotheck für den Naturkundiger unſers Jahrhunderts ausgeſucht und herausgegeben von S. 2ten Bandes erſte Sammlung Frankf. und Leipz. 8. Auctor eſt Cl. SCHROEDER.

I. B. SAGAR hiſtoria morbi epidemici *v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 56.*

Euſd. diſſ. de variolis Iglauienſibus anni 1766 Lipſ. 8.

Obſeruationes de antimonio i. e. obſervations on antimony and its uſes in the cure of diſeaſes. By WILLIAM SAUNDERS. Lond. printed for *John Whiſton* 8. p. 113.

Breui hoc, ſed egregio libello Cl. Auctor hiſtoriam antimonii naturalem, chemicam pharmaceuticam et medicam ita exponit, vt lectio eius omnibus certe commendanda ſit. Ipſe varia experimenta chemica inſtituit: ſic alcali volatile vix quidquam in antimonium agere experimentis ſuis Noſter cognouit. Tabulam exhibet p. 16. p. 47. *omnium praeparatorum ex antimonio, quae in officinis aſſeruantur, aut a medicis commendantur atque de viribus deinde ſingulorum praeparatorum exponit.* Puluis IACOBI dictus febrifugus (*Iames's Powder*) *cuius frequentiſſime in Anglorum medicorum ſcriptis mentio fit, obtinetur, ſi nitri partes* p. 64. *duae cum antimonii parte vna calcinantur et itaque antimonium diaphoreticum non perfecte calcinatum fiſſit. Vitrum antimonii ceratum vt infidum et in-* p. 63.

ſertum

p. 87. certum reiicit. Quod ad vires antimonii medicas attinet Cl. Auctor probare annititur, illud nullos in fluida effectus primarios edere. Hinc in solida tantum stimulo suo agit, et effectus, quos in ceteris corporis partibus praestat, ex consensu harum partium cum ventriculo et intestinis pendent.

p. 92. Diaphoreticam eius vim etiam ex consensu cutis cum ventriculo explicandam esse, probat Cl. Auctor, ex eo, quod sudor, tunc potissimum fluat, quando ventriculus manifeste stimulatur; quod effectus citius pateant, quam antimonium per corpus diffundi potest, et quod minima antimonii copia etiam iam sudorem moueat. Vrinam stibium fert tunc demum mouet, quando cum salinis combinatur.

p. 94. De expectorante vero eius vi dubie Noster loquitur.

p. 98. Antifebrilis antimonii virtus non ex euacuationibus per illud productis explicari potest, cum sua euacuatione manifesta saepe hoc praestet, in inflammatoriis et rheumaticis morbis. Hinc forte in diaphoretica eius vi quaerenda est. In febribus intermittentibus tartarus emeticus ante paroxysmum datus, nauseam et sudorem concitat, et plerumque proximum paroxysmum differt atque mitigat: imo nonnunquam febres anomalas et quas neque sudor, neque apyrexia consequitur, in ordinem redigit, vel totum morbum fugat. In dysenteria antimonium etiam diaphoretica sua vi potissimum iuuat. Vtile quoque est, si in refracta dosi exhibetur, in haemorrhagiis inprimis uterinis, ex eadem caussa. Addito opio efficacia eius in his morbis augetur. In cutis adfectionibus etiam diaphoresis tantum antimonio excitata opem praestat. In lue venerea mercurio quoque bono cum effectu ob vim suam sudorificam iungitur.

p. 104.

p. 112.

Verzeichnis der Arzneymittel zur allgemeinen Curmethode von D. AVGVST SCHAARSCHMIDT v. comm. nostr. Vol. XX. p. 263.

SALA-

SALAMON SCHINZ *Sendſchreiben an den Herrn* ANTON VON STÖRCK *über die Einpfropfung der Kinderblattern. Zürch 8.*

IO. LEBRECHT SCHMVCKERS *chirurgiſche Wahrnehmungen. Erſter Theil Berlin 8.* vid. ſupra p. 472.

CHPH. HEINR. SCHOBELTS *Beſchreibung der Epidemie in der Altmarck im Jahr 1772.* ib. 8.

CHRIST. DANIEL SCHREBERS *Beſchreibung der Gräſer 2ten Bandes 2te Ausgabe.* (Primam huius operis partem recenſuimus comm. noſtr. Vol. XVI. p. 216. et ſimul atque altera pars finita erit, quae iamdiu optatur et exſpectatur, eam quoque indicabimus.)

FRID. JOSEPH. WILL. SCHROEDER *die völlig eröffnete Alchimie oder höhere Naturwiſſenſchaft in einer deutlichen Anweiſung, als ein Anhang zur neuen alchymiſtiſchen Bibliotheck. Caſſel 8.*

Eiuſd. diſſ. inaug. de modo, quo venena, vt ſalutaria medicamenta agunt. Auctore et Reſp. *Phil. Iacob. Piderit.* Marburg. 4.

Eiuſd. medicina flatuum morborumque exin pullulantium, in ſpecie trium, quorum cauſſa adhuc a medicis praeteruiſa fuit, lumbaginis ſic dictae haemorrhoidalis, aſthmatis conuulſiui et ſtranguriae ib. 4.

IO. SAMVEL SCHROETER *Journal für die Liebhaber des Steinreichs und der Conchyliologie des erſten Bandes zweytes Stück Weimar 8.*

IACOB. LVDOVIC. SCHVRER theſes phyſicae de grauitate corporum. Reſp. *Franciſco Henrico Vierling.* Argentor. 4.

Eiuſd. theſes phyſicae circa materiam de attractione corporum Reſp. et Auct. *Io. Frideric. Curi* ib. 4.

IO. GOTTL. SEGERI diſſ. inaug. de apibus. Auct. et Reſp. *Chriſt. Gottl. Biener* Lipſ. 4.

PHILIPP. FRIDERIC. WILHELM SEIP diſſ. inaug. de phthiſi neruoſa Gotting. 4.

C. G. SELLE rudimenta pyretologiae methodicae. *v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 77.*

* * SENFT diſſ. de excellenti balneorum uſu. Reſp. *Leon. Nic. Anton Hahn.* Wirceburg. 4.

Obſervations on epidemic diſorders with remarks on nervous and malignant fevers. By IAMES SIMS M. D. London 8.

P. SPILSBURY's the friendly phyſician: or a Guide to furnish ſmall medicinal cheſt with neceſſary elegant medicines, calculated particularly for families who live in the country at a diſtance from apothecary: humbly ſubmitted to the public. Lond. 8. maj.

P. N. SPRENGELS *Handwerke und Künſte in Tabellen mit Kupfern; Bearbeitung der Erdarten fortgeſetzt von* O. E. HARTWIG. *Zehnte Sammlung. Berlin 8.*

Einleitung in die neuere Bienenzucht nach ihren Gründen für ſeine Landsleute in Schwaben, aus guten Büchern und eigner Erfahrung zuſammengetragen von P. SPRENGER. *Stuttgard 8.*

* * STEIN *von einer Milchpumpe* v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 101.

* * STRVVE diſſ. inaug. ſiſtens vires plantarum cryptogamicarum medicas. Reſp. GEORG. HENR. WEBER Kilov. 4.

Eſſai de la chymie, médécine cet. Par Mr. STRVVE *v. comm. noſtr. Vol. XX. p. 90.*

Herrn SVE *des jüngern chirurgiſches Lexicon, welches alle ſowohl theoretiſche als practiſche Kenntniſſe der Wundarzneywiſſenſchaft, die Beſchreibung und den Gebrauch der beſten Inſtrumente, die Handgriffe der chirurgiſchen Operationen, nach den Vorſchriften der größten Meiſter, und neueſten beſten*

beſten Werke enthält. *Aus den Franzöſiſchen überſetzt und mit Zuſätzen und Anmerkungen vermehrt von* D. GEORG KRÜNITZ. *Berlin und Stralſund 8. m. K. Voll. 2. bey J. A. Lange. p. 891. tab. aen. 2.*

Gallice hic liber prodiit anno 1771. ſub titulo: Dictionnaire portatif de Chirurgie, *illudque tertium tomum libri inter noſtrates etiam ſatis cogniti* Dictionnaire de Santé *dicti conſtituit. Fere nulla theoria immiſta eſt huic libro. Recentiorum inprimis chirurgorum Gallicorum praecepta Noſter collegit, paſſim tamen et plures remediorum formulas, etiam ſuas obſeruationes immiſcet. Cl.* KRÜNITZ *Medicus Berolinenſis egregias animaduerſiones addidit, ita, vt hic liber omnino chirurgis tironibus vtiliſſimus iudicandus ſit. Nonnulli articuli nimis forte longi ſunt, ſi cum reliquis comparantur, interim in iis tota fere doctrina, de quodam morbo in compendium redacta continetur. Huc pertinent illi potiſſimum, in quo de arte obſtetricia, de amputatione, trepanatione, luxatione, fractura cet. exponitur.*

